Dm Hochwohlgeboren

Herrn Herrn

Georg Ogilvie

Dr der Medizin und Chirurgie

etc. etc.

zum Andenken

vom

Verfasser.

DE

FEBRE INTERMITTENTE.



DISSERTATIO INAUGURALIS

AUCTORE

JOSEPHO NOBL,

MEDECINAE DOCTORE

ET

ARTIS OBSTETRICIAE MAGISTRO.



VIENNAE.

TYPIS JOSEPHI LUDWIG.

1843.

Typorum et periodorum febrilium miracula vidit omnis aetas, et obstupuit; videbit omnis posteritas, posteritas forsan omnis obstupescet.

Werlhof.

Der erhabenste Beruf des Menschen, nach dem Gottesdienste, bleibt doch der, Priester der heiligen Flamme des Lebens, und Verwalter der höchsten Gaben Gottes und der geheimsten Kräfte der Natur für das Menschengeschlecht zu sein, das heißt — Arzt zu sein.

Hufeland.

Ki épiteni nem ért is, vihet egy két követ a' csarnokhoz.

Fáy András.

MÉLTÓSÁGOS

WICZAI ÉS HÉDERVÁRI

GRÓF WICZAY KÁROLY


ÚRNAK,

CSÁSZÁRI KIRÁLYI ARANY KULCSOS HIVÉNEK,

LÓÓS, HÉDERVÁR ÉS IREGH URODALMAK'

ÖRÖKÖS URÁNAK,

S'A'T. S'A'T.



HAZA, EMBERİSÉG S' TUDOMÁNY

ÜGYÉBEN

FÁRADHATLAN BUZGALMÚ

FERFİUNAK,

MİNDEN ÜDVÖS ÉS SZÉP'

HŐKEBELŰ ELŐMOZDİTÓJÁNAK

LEGMÉLYEBB TİSZTELET JELÉÜL

A'

Szerző.

MÉLTÓSÁGOS GRÓF!

Mielőtt az Orvosok' sorába lépnék, a' Törvénynek engedelmeskedve csekély értekezést bocsátok az Olvasók elé. Tárgyául azon kórt választám, melly hőn szerett Hazánk lapályos részein annyira háborgatja Honfitársaink' egészségét. A'mint egy részről zsenge munkám' gyengeségét méllyen érzem, úgy más részről a' hála' legszentebb érzetével meg vagyok győződve a' felől, miszerint reám nézve csekély munkám' becsét igen nevelé

azon szerencse, hogy azt MÉLTÓSÁGOD' TÜNDÖKLŐ NEVÉVEL diszesíthetém.

És MÉLTÓSÁGOD' határtalan Kegyének eme világos tanuja új ösztönt támaszta keblemben azon mély Tiszteletre s' Hódolatra, mellyel maradok

MÉLTÓSÁGODNAK

alázatos Szolgája

A' SZERZŐ.

Lector Benevole!

Tenues hasce pagellas publico tradens, legi Academicae id praecipienti satisfecisse volo. Omnibus enim adminiculis ad id, ut quis Auctoris titulo jure condecorari possit, necessario requisitis, me hucadusque destitui, intime convictus profiteor. — Aetas etenim, Studium longaevum, observationes numerosae, experientia larga — quid ni totidem sunt postulata indispensabilia, ut cui hancce adire posse Corinthum concessum sit? A me igitur, Artis Giganteae imbecillo tirone, qui studiorum curriculum vix emensus, in concinnando hocce opusculo temporis quoque spatiive premor angustiis, de objecto, de quo tot tantaque splendent Celeberrimorum Auctorum Volumina, nova in lucem edi atque inaudita, propria persuasus modestia, vix exspectabis. Neque ulla hoc praestandi erat intentio.

Ex agmine Thematum tractamini de Febre intermittente (utpote objecto magis obvio, minusve ex caeteris paribus usu trito) eo lubentius memet accinxi, cum in Patria mea Hungaria, locoque natali ad lacum Balaton sito, febriumque intermittentium adeo fertili, easdem inde a mea — sit venia verbo — infantia observandi, abunda omnino locupletatus fuerim occasione; et quum in Clinio Medio-practico sub Auspiciis Clarissimi ac Celeberrimi Professoris ***FRANCISCI NOBILIS AB HILDENBRAND****, cujus me quoque discipulum fuisse*

sempiterna gloriabor superbia, tractamen earundem ex viva voce percipere, atque ad lectulos aegrorum intueri concessum mihi fuerit. Nihilominus tamen et ea (demtis paucis) quae in hisce pagellis concinnata et consignata invenies, nonnisi eo jure mea dici candide fateor, quo jure mea compellare possum ea, quae ex dictis scriptisque mox nominati, sicut ex solerti lectitatione operum, aliorum celeberrimorum Auctorum altae praefixi memoriae. —

Spe fretus naevos ne in exili quidem hocce opere defuturos, Benevolentiae Tuae palliamento coopertum iri, alta promulgo voce: erat mihi discendi, nequaquam vero docendi cupiditat. —

Vale et fave

Dabam Vindobonae 1. Julii 1843.

Auctori.

Denominatio. Etymologia.

Febris (gall. Fièvre, angl. Febre, germ. Fieber, hung. Láz) Vocabulum „Febris" (gr. πυρετός, α πῦς, ignis) juxta plurimos Auctores derivatur a fervor, fervere; estque terminus, qui calorem adauctum liquidi cujusdam, simul et effervescentiam ejusdem per calorem inductam, adeoque duplex quasi assignat phaenomenon, quod sanguis in individuis febre adfectis praesefert. Aliis vero Pyretologis ab obsoleto verbo februo (idem ac expio, expurgo) derivandum videtur, prout videlicet hi expurgationem humorum, praeprimis Sanguinis tamquam principale febris phaenomenon considerant.

Undecunque autem vocabulum febris derivetur, unum sane ex iis censendum, quae juxta cognitionem naturae internae, indolisve objecti quod designant, juste definiri nedum queunt; hocque respectu medicis signi adinstar venit, illis analogi, quibus Mathematici ad designandas quantitates ignotas utuntur. — Ast etsi essentia febris fere penitus nos lateat, nihilominus tamen vocabulo hocce certam seriem phaenomenorum indigitare consuevimus, quae observari et delineari haud difficili possunt negotio.

Sententiae quorumdam veterum, recentiorumve auctorum de febri in genere.

Hippocrates in statuendis circa febrim, notasve ejus essentiales assertis circumspectus omnino erat; secundum Riolan enim „Hyppocrates febrem appellat ignem, et febricitantes igne correptos", et notatu sane dignum est, eum ad dignoscendum statum febrilem exploratione pulsus neutiquam usum fuisse, nam ut Haller diserte adnotat „solum fere pulsum negligit" ita et Sauvages in idem id attentos nos reddit dicens „Constat apud eruditos Hippocratem manibus pectori et abdomini sparsim admotis, de febris praesentia potius, quam ex pulsu judicasse."

Galenus, qui per quatuordecim saecula arti Hippocraticae facem praeferebat, in definitione febris aestimationem, interpretationemque pulsus nequaquam neglexit, dicit enim: „Febris est innati caloris mutatio, seu declinatio ad statum praeter naturam, pulsibus vehementioribus ac crebrioribus redditis."

Alchimistarum asseclae; quorum princeps Paracelsus erat, febrim tamquam motum effervescentiae, ac fermentationis sanguini, humoribusque communicatum considerant; juxta hos enim. „Sanguis in febri effervescit, et insuper fervore suo, velut mustum efflorescens a sordibus purgatur." (Willis de febre Cap. I.)

Sydenhami ejusve asseclarum de febre opinio, illi Alchimistarum appropinguat; sic Werlhof (Observ. de febribus etc. Venetiis 1764) dicit: „Lubens concesserim febrim in se et absolute spectatam, esse motum naturae per secretiones et excretiones materiae nocivae, ad conservationem corporis tendentem, imo, si a notione populari et consueta discedere libeat, ne quidem morbum vocari merere."

Magis adhuc succincte ajit Hippocrates ille Anglicanus: „Profecto est febris ipsa naturae instrumentum, quo partes impuras a puris secernat."

Stahl et Asseclae similem quoqe de febri fovebant opinionem, ea nonnisi cum distinctione, quod his „Febris sit principii vitalis salutare conamen, quo motibus secretoriis et excretoriis ultra gradum naturalem auctis, morbiferam aliquam materiam removere intendit."

Fr. Hoffmann et Boerhaave non contenti mutationes, aut modificationes caloris circulationisque, a quibus febris notas petit characteristicas, adnotasse: etiam „laesionem generatricem" ut illi causam proximam febris appellant, eruere tentarunt; sicque laesionem hanc generatricem prior in spasmo vasculorum minimorum, posterior autem in irritatione organorum sanguine refertorum consistere existimant.

Similiter Stoll omnia febris phaenomena derivanda esse censet ab irritabilitate cordis aucta, exstimulata a quocunque demum stimulo, et vitae sic irritatae conatu adversus stimulum inimicum.

Brown et Incitabilistae in incitatione debilitata,

Hufeland et Sprengel in reactionibus morbose validis omnis vitalitatis irritatae consistere naturam febris defendunt.

S. G. Vogel (de febrib. in genere Cap. I. pag. 6) dicit esse stimulum sui generis, in nervos vasaque agentem, a quo omnia phaenomena febribus essentialia dependent.

P. Frank (epitom. Lib. I., §. 3) quaerit „num febris dici mereatur affectio irritatae per inconsuetum stimulum, reagentisque naturae, cum laesa abhinc functione aliqua?"

Juxta J. N. nob. a Raimann Febris est morbus universalis, cum eminente systematis sanguiferi irritatione, ipsiusque sanguinis mixtione alienata.

F. ab Hildenbrand causam principem febris morbi deputat in morbosa haerere simultanea reactione omnium vitae virium versus stimulum morbificum, languentibus inde facultatibus nervorum, ad graviores occupationes intentorum.

Selle dicit: febris est morbus relate ad decursum et durationem diversimode constitutus, cum frigore, aestu, pulsuque jam magis jam minus accelerato, ac statui convenit normali.

Laennec (Disput. inaugural.) quaerit: „an non posset febris cum Hippocrate ut essentialis affectio considerari, quae cum omnibus aliis morbis complicata, esse aut omnibus ut complicatio accedere potest?"

Broussais febrim inflammationum localium, et vel frequentissime gastro-enteritidis symptoma, verbo: febres omnes adfectionum topicarum productum esse declarat.

Divisio.

Multifariae febrium juxta varios auctores divisioni et subdivisioni, tamquam objecto a scopo meo remotiori, supersedens, hicce nonnisi illius in duos ordines: Continuarum nempe et Intermittentium, a plurimis nosologis; uti: a R. Vogel, Cullenio, Burserio, Petro Frank, nob. a Raiman, ab Hildenbrand et m. aliis

adoptatae, mentionem fecisse volo; ad ulteriorem nunc febris intermittentis pertractationem transeuns.

Febris, si Phaenomena spectes, reliquis morbis est notior; si constitutionem et causam, omnium ignotissimus.

Baglivi.

Definitio.

Febris intermittens, ut jam epitheton indicat, et ut juxta verba W. Trnka de Krzovitz. (Hist. febr. interm. omnis aevi observ. Med. compl. Cap. I.) „Pathologi jam inde ab antiquitate ad nostra usque tempora definivere, ea est, quae alternis vicibus accedit receditque, nullo sui relicto ad sensum a discessu vestigio.“

Hypotyposis.

Quilibet insultus febris intermittentis in 3 discedit stadia, a se invicem segregata: Stad. I. horrore universali, et frigore, II. Aestu et III. Sudore insigne est.

Stadium primum: Symptomata stadium hocce concomitantia sequentia sunt: Oscitatio, pandiculatio, et tensio involuntaria artuum, totiusque corporis, (nominatim juxta longitudinem dorsi) horripilatio, horror, tremor; sensus constrictionis universalis; frigus, cutis contracta, sic dicta anserina; pulsus parvus, frequens, inaequalis; decoloratio universalis, cum labiis unguibusve caeruleis; urinae parcae, pellucidae, aquosae.

Insultus frigoris varios praesefert Gradus, variamque intensitatem et durationem. Duratio media frigoris dimidiae uniusve, at saepe et 5 — 6 horarum est. Stadio hocce nimis valido, cutis aspectum offert illi similem, quem in individuis secus sanis, sub hyeme rigida aeri frigido diutius expositis observare solemus, violacea videlicet, quasi marmoracea, imo livida conspicitur. Flectuntur et curvantur prae frigore aegri, in se ipsos quasi spastice retrahuntur, ac si frigori, quod in cute persentiunt, angustiorem praebere adniterentur superficiem; tremunt praeterea, adeo, ut dentes ob spasticos maxillae inferioris motus invicem concutiantur, totumque

corpus plus aut minus valide conquassetur, ut ne membrum quidem quieti obediat; spiritus porro turbatus brevis, et citatus est.

Interim frigus sensim sensimque remittit, horror cum conquassatione dentium et contremiscentia corporis non amplius persentitur, cessantibusque sensim omnibus phaenomenis frigus concomitantibus, ingruit —

Stadium secundum: Hujus sequentia habentur symptomata: sensus caloris per universum corpus adaucti, postquam videlicet frigus, successive remittendo, cum iteratim invadente calore fugaci alternasset, donec tandem penetus cesset. Faries nunc cutisve tota rubere incipit, totum corpus quasi volumine augeri, cutis turgescere videtur, sicca tamen adhucdum perstat. Respirium lentius, liberiusve fit, inquietudine tamen remanente, eadem quinimo adhuc increscente. Pulsus suppressus, parvus contractusve liberior nunc, durus, fortis, varioque gradu frequens evadit. Os siccum fit, sitis frigoris jam stadio praesens perstat, plurimisque casibus adaugetur. Urinae hocce stadio missae flammeae, nubeculae sedimentique expertes visuntur.

Attamen hocce stadium non secus ac praecedens, pro ratione intensitatis symptomatum non paucas offert varietates. Aestu enim non immodico praesente, omnia in aegris cernuntur Symptomata, quae inflammatoriam seu vasculosam insigniunt febrim, uti pulsationes carotidum, arteriarumque generatim, turgor faciei, nitor oculorum insignis, kephalaea valida, rubor membranarum, visui patentium. Multi insimul de doloribus in dorso artubusve conqueruntur aegri, sensuum pariter adaucta est sensilitas, oculi lucem fugiunt, aures sonorum sunt impatientes; aegri nonnuli somnolenti fiunt et in soporem proni, alii, infantes praeprimis, et individua perquam irritabilia delirant; in cunctis autem magna observatur erga temperaturae vicissitudines sensilitas.

Duratio stadii hujusce plurium, ast quandoque quadrantis solum dimidiaeve horae esse potest. Aestus, uti sensim sensimque increvit, pari gradatim remittit ratione, cuti interea madescente; hacque ratione stadium hocce transgreditur in

Stadium tertium: Cutis prius cicca, arida, calens, nunc a facie incipiendo in superioribus, paulatim et in inferioribus corporis partibus madere pergit,

sudorve dein universum invadit corpus, saepe adeo copiosus, ut lintea cuncta aegrum ambeuntia eo penetrentur, acsi aquae immersa fuissent. Casus, in quibus sub hocce Stadio nonnisi levis adest perspiratio humida, ad rariores spectant. Caeterum sudor sub hac periodo prorumpens viscidus saepe, odorisve subacidi observatur.

Stadium hoc variae quoque est durationis, raro tamen 3 — 4 excedit horas; sub decursu hujus, symptomata morbosa sensim remittentia, penitus demum disparent; aestus etenim mitigatur, kephalaea, sitis, inquietudo disparent; pulsus mollior, lentior evadit, potissimumque somno tranquillo indulgent aegri, ex quo haud parum refecti expergefiunt.

Sudore invadente lotium quoque magnam subit mutationem; turbidum enim fit, atque in fundo vasis latericium, leve et copiosum saepe deponit sedimentum. — Ex experientia praeterea constat aegros in apyrexia eo melius valere, quo sudor erat copiosior.

Stadium tertium status quietis et euphoriae excipit, qui Apyrexiae nomine venit, quae si completa sit, nonnisi sensus lassitudinis remanet. —

Typi ratio.

Insultu febrili mox descripto quotidie revertente, ita ut nychthemeron unum insultum cum insequente apyrexia in se recludat, febris tunc intermittens quotidiana audit.

Insultu autem quovis altero die redeunte, ita ut singulus insultus cum apyrexia, spatium expleat 48 horarum, febris intermittens tertiana nuncupatur.

Ubi porro insultus quovis quarto die revertitur, ita ut duos insultus lucidum duarum dierum intervallum intercedat, accessusque proin omni 72a hora ingruat, reliquo temporis spatio libero: febris intermittens quartana denominatur.

Ast et duplicationes insultuum ad normam periodorum mox allatarum locum habere ex observatione fertur. „Si insultus quotidiani“ ajit Boisseau (Pyretologie physiologique pag. 534 — 35) „differentibus revertuntur horis, aut si respectu intensitatis, durationis etc. ab invicem abludentes quidem, omni altero die sibi correspondere deprehenduntur, febris tunc inter-

mittens tertiana duplex censenda est. — Distinguenda tamen ab hac ea febris est, quae quovis tertio die duos insultus celebrans, unum intercurrere sinit diem febris expertem; haec enim febris intermittentis tertianae duplicatae nomine insignitur. — Aliusmodi duplicatio febris tertianae ea est, ubidum omni tertio die duobus insultibus obtinentibus, die quovis intercurrente unus observatur accessus; (ita ut diebus 1 et 3 duo, diebus autem 2 et 4 unus obtineat insultus) haec febrim intermittent. tertianam triplicatam sistit. — Similes et febris quartana init duplicationes; Insultus 1, 2 et 4° quovis die obtinens, insultui 4 diebus praegresso correspondens, febrim intermittent. quartanam duplicem constituit, (ut adeo 3us dies vacuus, insultus autem diei 4^{ti} illi diei 1^{mi}, et 5 — 2 correspondens sit.) — Duobus insultibus una die obtinentibus, insequente duarum dierum apyrexia, febris intermittens quartana duplicata efficitur. Datur porro et quartana triplicata, a qua itidem distinquenda venit quartana triplex. —

Febris interm. quotidiana quoque duplex aut et triplex esse potest. —

Auctores nonnulli paucos referunt casus febrium intermittent. quintanarum, sextanarum et s. p. quindenarum usque; imo menstruarum, bimensium, trimensium c. s. p; demum et annuarum. —

Accessus insultuum non statis temporis intervallis obtinentes, febri intermitt. irregulari, erraticae, s. atypicae nomen impertiuntur. —

E cunctis hisce typis, quorum vel denominationibus memoria haud retinendo est — typus quotidianus, tertianus et quartanus ii fere sunt, quos omnino novisse oportet. Nonnullos enim alios supra recensitorum in libris potius quam in natura typum observare constantem, saltem suspicari licet. — Febres septanae saepius adhuc prae ceteris observatae sunt. — Ceteroquin subtilitates hae typicae, etiamsi fundatae supponantur, exilis tamen sunt valoris practici; et nonnisi prognoseos respectu typi intermittentium harum penitius considerandi venirent; experientia enim teste, febris sanationi in genere eo facilius cedit, quo insultus celebrat crebriores, ut adeo v. c. quotidiana prae tertiana, haec prae quartana et. s. p. facilius sanetur, hincque transmutatio

quotidianae in tertianam aut quartanam deteriorem, contrarium vero faustiorem statuere sinat prognosim; febris intermittens porro cum typo vagante atque anticipante levior habetur forma, ac ea cum typo fixo aut postponente. —

Plurimi Auctorum ordinem quoque febrium intermittentium malignarum, seu perniciosarum distinguunt, quarum vedelicet symptomata adeo maligna, et decursus adeo praeceps est, ut post paucos saepe jam accessus morte terminentur; haeve pro diversitate symptomatis praevalentis, quo singula harum insignitur diversas, praecipue per Sauvages sortitae sunt denominationes.

Febres hae typum utplurimum tertianum, aut tertianum duplicem observare dicuntur, suntque fere sequentes:

1. Febres perniciosae, quae dolore quopiam vehementi excellunt; huc referuntur feb. perniciosa kephalalgica, pleuritica, cardialgica etc.

2. Quae praeter dolorem quempiam insignem, copiosam alvi evacuationem sibi junctam praeseferunt, uti febris cholerica, a Torti dissenterica nuncupata.

3. Quae cum copiosa quadam evacuatione, absque ullo tamen dolore, conjunctae occurrunt; quo feb. perniciosa hepatica (aliis sanguinolenta dicta) atrabiliaris, diaphoretica etc. spectant.

4. Quarum symptoma eminens affectio plus minus intensa systematis nervosi centralis constituit. Feb. perniciosa soporosa, epileptica, cataleptica, tetanica, convulsiva, paralytica etc. huc referuntur.

Caterva demum febrium intermittentium anomalarum seu irregularium hic adducenda est, quarum

Species 1. eas complectitur, quarum insultus incompleti sunt, i. e. quae nonnisi unum aut duo stadiorum supra recensitorum offerunt.

Species 2. continet eas, quarum stadia confluunt, aut inordinata sunt, et demum

Species 3. consistit in febribus intermittentibus larvatis seu personatis, quae nempe symptomate quopiam plus minus pernicioso, post intervalla magis minusve determinata revertente insignes sunt, quin frigus, aestus sudorve illi praecedat, aut illud comitetur.

Nonnulli medicorum varii aevi febres intermittentes nomine anomalarum insignitas, a genuinis

segregare rati sunt. — Negari quidem non potest, primo obtutu dubium moveri an, et qualisnam inter neuralgiam, singultum etc. periodice revertentem, et inter febrem intermittentem observetur analogia? Si tamen perpendatur: febres intermittentes anomalas pariter ac regulares epidemice regnare, aut desinere, prouti momenta causalia vigent aut cessant; illas porro non secus ac has, medelae cum praeparatis chinae institutae cedere; priorum porro symptomata eundem adipisci typum, ac posteriorum; illarum tandem insultus eodem temporis spatio durare ac harum: profecto sanae non videtur adversari logicae, ambas has morborum series juxta se invicem collocare; quinimo combinatio haec argumentum subgerere videtur opinioni, qua, febres intermittentes ad classem neurosium spectare, statuitur. — Circa objectum hoc infra plura dicentur; de differentiis nunc febris intermittentis quotidianae, tertianae et quartanae loquar.

Febris intermittens quotidiana saepissime tempore hyemis et autumni, sub tempestate humida et obscura, hinc nonnunquam vere quoque occurrit, multosque tunc simul corripit, absque discrimine aetatis, temperamenti, sexus; licet individua inertia, phlegmatica, debilia, vitae genus motuum expers agentia, infantes item, tenelli facilius prae aliis ea plectantur. — Insultus febriles potissimum mane, ast nonnunquam etiam vespere, aut noctu, rarius tamen post meridiem intrant.

Febres Quotidianae genuinae rarius occurrunt febribus tertianis ac quartanis, et a tertianis duplicibus, quibuscum saepe confunduntur, probe distinguendae sunt; caeterum ex aliis libenter oriuntur intermittentibus, atque facillime prae aliis in continuam remittentem, lentamque febrem, aut in alios terminatur morbos. — Intermittens quotidiana nonnunquam pertinax esse, difficulterque sanari solet; paroxysmi communiter 6 — 7, ast nonnunquam usque 14 durant horas; apyrexiam nonnisi raro puram relinquunt, typum utplurimum constantem celebrantes. Frigus potissimum mite, horroris expers, nonnunquam plane desideratur. Aestus est moderatus, absque siti valida, ast mordax et protractus. Aegri, praeprimis infantes in somnum multum sunt proclives. Communissime 10 — 14 celebrat insultus antequam finiatur.

Febris intermittens tertiana vere potissimum, rarius autumno occurrit, ubi in quartanam transire amat. (Sydenham). Individua juniora, robusta, temperamenti cholerici, validos corporis motus exercentia prae alliis in hanc disponuntur. Paroxysmi potissimum circa meridiem intrant, versus vesperam denuo cessantes, quin tamen constanter hoc obtineat, nonnunquam enim ad 12 horas protrahuntur. Sub paroxysmo ipso Symptomata vehementiora sunt ac in aliis intermittentibus; speciatim aestus, sitis, dolor capitis intensus esse solet; paroxysmos apyrexia excipit perfecta. Eadem haec valent de febri tertiana duplici, genuina; in spuriis e contra omnia Symptomata sunt mitiora, accessus citius ordiuntnr diutiusque, saepe ad 18 durant horas, ut apyrexia vix percipi possit, diebusque etiam liberioribus lassitudo, anorexia, kephalaea, pulsus febrilis etc. persentiantur. — Post tertium quartumve insultum circa labia, aut et in aliis corporis partibus, pustulae prorumpunt, in ulcuscula crustosa sensim abeuntes, nomine hydroae febrilis venientes, quo facto sperare licet, febrim post tres quatuorve paroxysmos finitum iri. Saepe tamen indicium hoc fallax deprehenditur, quinimo in principio febris exorta, morbum annunciat protractum.

Febris tertiana anticipare amat, inque aliam transire speciem, uti in quotidianam, continuam remittentem, tertianam duplicem. Hoc tamen potissimum de ancmalis valet, ubi videlicet apyrexia brevis, sudor nimis parcus, non levans, aut plane nullus observatur. — Sed et salutifera interdum est intermittens tertiana, praecipue vernalis; morbos enim inveteratos, uti maniam, melancholiam, epilepsiam, paralyses, arthritidem, febrium autumnalium reliquias, chlorosim etc. tollere, corporisque evolutionem promovere valet. (Stoll aph. 404).

Febris tertiana genuina, levisque post 5, 7 aut 9 insultus, observante jam Hippocrate terminare solet; levis tamen in diaeta aut regimine, aut curatione error, sufficit recidivae generande.

Febri quartanae autumnus praeprimis favet; aere humido, soloque humido potenter alitur; hinc in regionibus quibusdam praecipue septemtrionalibus, uliginosis fere endemica, in montosis vero rarissima. Febris haec maxime infestat individua cachectica, et saepe cum statu pituitoso, pituitoso-bilioso, viscerum abdominialium

morbis juncta occurrit; inter omnes intermittentes typum observat maxime regularem, insultusque a meridie aut vespere invadere solent. Frigus diutius durare, ast communiter mitius esse consuevit ac in tertiana; aestus non nimius, 5—6 horas durans. Nonnunquam tamen, morbo videlicet gravissimo, frigus vehemens est, adeo ut sub doloribus acerbis ossa quasi penetret, neglectum imo sub paroxysmis proximis in rigorem transeat. Hincque febris quartana senibus adeo periculosa, et quandoque imo lethalis evadit, dum juniora individua eam diutius absque noxa ferre possunt. Pulsus in febri quartana debilis, parvus, rarus, saepe inaequalis; urinae pallidae, limpidae esse solent. Duratio paroxysmorum cum iis febris tertianae fere convenit.

Febris interm. quartana non raro tuetur, aut liberat a morbis gravibus, pertinacibus, uti a convulsionibus, podagra, epilepsia, hypochondria, melancholia etc.; et vice versa ipsa saepe per alios tollitur morbos accedentes, uti per scabiem, variolas, miliaria, haemorrhoides, ptyalismum, in quem febris haec prona est, et alios. Caeterum nulla intermittentium adeo cito tantam infert cachexiam et cacochymiam ac quartana; nulla porro tantopere ad secundarios hydropes, icterum, scorbutum, chlorosim, mensium anomalias, imo tabem disponit.

In tertianam simplicem aeque ac duplicem quandoque transmutatur, aut vicissim ex hac oritur, uti et ex aliis febribus aut diu durantibus, aut erraticis factis. Boerhaave, Fr. Hoffmann, Werlhof aliique (Trnka l. c. p. 296) affirmant per febrem interm. quartanam, longaevam effici vitam, item a multis corpus longitudine increscere fertur. — Duratio febris quartanae omnium intermittentium est longissima; communiter enim duos tresve durat menses, raro itaque ante 14 terminatur paroxysmum, licet casus non desint, ubi post pauciores cessaverit insultus; in recidivas demum inter omnes intermittentes est pronissima, quae tamen prima febri consuetim mitiores esse solent, et post aliquos saepe sponte desinunt paroxysmos.

Terminationes febrium intermittentium.

Exitus febrium intermittentium triplex esse potest, aut enim in sanitatem abeunt, aut in alios deflectunt morbos, aut demum morte terminantur.

In sanitatem abiturae, breviores ac mitiores celebrando paroxysmos pedetentim decrescunt, et sic subinde solis naturae viribus, aut vero artis adjumento cessant; hancque terminationem evacuationes criticae, et hydroa febrilis ad labia atque nares communiter comitantur.

Morbi secundarii in quos febres intermittentes saepissime transire observantur sunt prae aliis febres continuae varii characteris; quod tunc praeprimis timendum, si apyrexiae breviores semper evadunt, typusque anteponens maximum attingit. In febribus intermittentibus vernalibus, item in illis, quae charactere excellunt sthenico, vel ubi status biliosus praesens, notabilem provocat reactionem, exitus hic aeque frequens est. Febres intermittentes diu durantes in alium, minus faustum typum, et quidem potissimum in quartanam declinant febrim. Saepe in alios terminantur morbos, e quibus principem obtinent locum: infarctus viscerum abdominalium, praesertim hepatis, lienis (sub nomine placentae febrilis) subinde glandularum quoque meseraicarum phlogoses lentae, suppurationes; accumulationes porro serosae, icterus, scorbutus; tabes jam sine, jam cum visceris cujusdam suppuratione; impetigines scabiem aemulantes; nevroses variae, utplurimum pertinaces, uti hypochondriasis, epilepsia, melancholia, mania etc. uti hoc Sydenham aliique (in Hufeland. Journ.) testantur.

Morte terminantur febres intermittentes in iis regionibus, iisque casibus, ubi indolem induunt malignam; in regionibus tamen nostris multo rarius hoc obtinet, et nec unquam fere modo directo, seu durante paroxysmo mors addicitur, nisi in iis casibus, (ceterum rarissimis) ubi frigus ultra modum excedens, aegros sub ipso paroxysmo opprimit; et juxta asserta quidem plurimorum Pyretologorum, aegri, per mortem in febri intermittente directe suboriundam, semper sub stadio frigoris e vivis eripuntur. — Frequentius autem lethalis febrium intermittentium exitus apud nos, teste experientia, modo indirecto subsequitur, uti per indolem pravam morborum posthumorum, qui e febribus intermittentibus oriri possunt, aut per durationem nimis protractam, per decursum febris irregularem, per recidivas frequentiores, per frigus nimis diu durans, in plures excedens horas, senibus, debilitatis, teneribus infantibus praecipue infensissimum, per aestum nimis intensum, ingentesque et ite-

ratas ad caput congestiones causantem, per sudores exhaurientes et. s. p.

Sequelae febrium intermittentium. Necroscopia.

Effectus praecipui, quos in individuis febre intermittente longiori tempore mulctatis observare solemus sunt: emaciatio, color faciei pallide flavus; accumulationes serosae externae et internae, (uti Oedema, Ascites etc.) incrementum lienis et hepatis morbosum, status scorbuticum aemulans etc.

Complicationes hae accidentales, potissimum a congestionibus sanguinis sub insultu febrili praesentibus derivandae, longiori duratione, exitium aegris struere valent. — Erroneum itaque foret abnormitates, laesiones etc. sub sectione cadaverum febri intermittente defunctorum semet visui sistentes, inter quas tumor hepatis, et vel praecipue lienis, cum vel sine emollitione, principem sibi vindicat locum, pro principali habere febris intermittentis causa.

Febres intermittentes perniciosae seu malignae, referentibus observatoribus numerosis, laesiones organicas post se trahere solent non immodicas; sic ex ceteris celeb. Harvey (De Motu sanguinis in Corde. Cap. XVI.) ajit: „In tertiana febri morbifica causa circa pulmones immoratur, et anhelosos, suspiriosos, ignavos facit .... et sanguis in pulmones impingitur, incrassatur, non transit; hoc ex dissectione illorum qui in principio accessionis mortui sunt, expertus loquar.“

Spiegel et Lancisi degenerationes praeprimis organorum abdominalium invenisse condentunt; inter quas gangrenae praesertim in vicinia valvulae Bauhini observatae mentionem faciunt (Ulcera typhosa?). Et quidem laesiones has organorum abdominalium in iis obtinuisse casibus referunt, quorum insultus adfectione magis aut minus gravi functionum organorum digestionis excellebant, ubi e contra in individuis, quorum febres sub forma febris apoplecticae, comatosae etc. apparuere, turbas organorum functionibus sensoriis inservientium, nominatim tumorem universalem, oppletionem vasorum cerebri, atque serum sanguineum in cranio depositum deprehendisse dicunt,

Bailly pari ratione affirmat in induviduis febri perniciosa defunctis, notabiles inveniri laesiones et degenerationes; sic inter cetera: sanguinem in abdominis cavum effusum, lienem tumidum et ruptum, membranam ventriculi mucosam incrassatam, rubram etc. commemorat. Sed et vestigiorum arachnitidis, congestionisque in cerebro praesentis mentionem facit. Verbo, nec unquam cadaver febri hacce mortui se aperuisse asseverat, quin magnas semper detexisset desorganisationes. Caeterum emollitio lienis, ejusque ruptura, sicuti post febres perniciosas, ita et non perniciosas, longo tamen tempore durantes, variis visa est observatoribus.

Ast nonnulli recentioris aevi medicorum, non contenti tumorem et emollitionem lienis tamquam effectum febris remotiorem, nominatim intumescentiam, tamquam infarctum hujusce organi, (qui et in hepate obvenire potest) agnoscere, eam imo pro febris assumsere causa; Inter hos Piorry excellit, qui summam observationum suarum, in 27 individuis, febri intermittente laborantibus factarum, in responsione questionum quarumpiam, collegit, mox adducendarum:

1. Cujusnam indolis est intumescentia lienis in febribus intermittentibus? — Consistit ea in congestione sanguinis ad hocce organon; haec sui generis est, quod procul dubio structurae lienis anatomicae adscribendum. — Observantur quidem nonnunquam laesiones organicae lienis post febres intermittentes longo tempore durantes; ast idem et in aliis obtinet organis, congestionibus diu subjectis. — Tumores hepatis per evacuationes sanguinis, diaetamve aptam saepe cellerrime discutiuntur, iis tamen in volumen lienis adauctum, nullum influxum exerentibus; chininum vero hepar intactum relinquens, notabillem in lienem testatur activitatem.

2. Quonam adminiculo tumor lienis dignosci potest? Percussione ope plessimetri (Traité de percussion mediate etc. p. 175). Exploratio enim digitorum ope insufficiens est; nam hac ratione prominentia lienis infra marginem costarum quidem dignosci, nequaquam tamen crassicies ejus explorari potest.

3. An tumor lienis in febribus intermittenttibus constanter adest? — In casibus 27 supra nominatis: in 22 hypertrophicus, in 1 morbosus absque hypertrophia, in 4 autem casibus, adfectiones organorum lieni vicinorum (?) aderant. Hincque probabile videtur, omnes febres in-

termittentes regulares et simplices cum adfectione lienis coincidere.

4. An Tumor lienis febrem intermittentem praecedit, an comitatur, an eidem subsequitur? — Difficile responsu. Rarissimis enim in casibus medicus ante febris evolutionem vocatur. — In 1 supra allatorum ab insultu 4[to], in 2 a die 8[a], in 2 a die 10[a] observabatur, hicque lien tanti jam erat volum'nis, quale post febres inveteratas observari solet. Supponi igitur potest, lienem a primis jam insultibus hypertrophicum esse. In pluribus casuum adductorum aegri, aliquot ante invasionem febris diebus, disphoriam, et quibusdam in casibus dolorem in latere sinistro presensere. — Verum quidem est febrim disparere posse, tumore tamen non per dies solum, sed per menses imo et annos superstite: (unde concludi posset lienem causam febris non constituere) probe tamen respiciendum, invidua liene grandi gaudentia persaepe vesperi horrorem, frigusve persentire, eadem colorem febri intermittente laborantium retinere, recidivisve frequentibus obnoxia esse.

5. An tumor lienis huic aut illi correspondeat febris typo? — An in febri tertiana hepar magis laborat? — In casibus nominatis nulla observabatur inter typum febris et tumorem lienis relatio. Hypertrophia in tertianis pariter ac quotidianis quartanisve observabatur febribus. — Hepatis tumor febri intermittenti subsequi solum potest, nullatenus autem ut constans, mutuumve cum febri nexum fovens considerari.

6. Quaenam est natura febrium intermittentium? — Typus periodicus consensum nervorum in febribus intermittentibus praesupponere sinit. Ast Quaenam causa insultuum? —

a) Hypertrophia lienis, quod in dubium vocari nebuit, cum adminicula physica id evincant. — *b*) Alienatio crasis sanguinis (decoloratio ejus, fere ut in chlorosi) quae pariter indubie durante febre persistit. — Quodnam momentorum horum alteri praecedit? — Argumenta deficiunt; novae requiruntur investigationes ope percussionis. Quaestio ergo haec non soluta haeret. Statui quidem posset miasmata paludosa sanguinem primarie adficere; sed pari ratione actio illorum, nervorum systema petere potest. — Actio prompta chinini ab immutatione sa nguinis per id inducta derivari posset; ast et neuralgiae, in quibus sanguis sane alienatus non est, applicationi

chinini cedunt. Et quomodo supponi potest insultus febriles alienatione sanguinis causari, ubidum evictum est, insultus deligatione artuum, sicuti et aliis adminicullis simplicibus, in systema nervosum influxum exerentibus intercipi? — Sequentia autem adfirmari possunt: Hypertrophia lienis dumetquando absque febri adesse potest, febris autem intermittens regularis, simplex, nunquam sine hac occurrit; color cutis luridus, quousque hypertrophia lienis perstat, nunquam disparet, liene vero ad pristinum volumen reverso, mox evanescit. — „Haec saltem luminis quidpiam suppeditant.“ —

7. An febris intermittens simplex, suique generis affectio est, an vero ad alias febres numeranda? — Febris intermittens neutiquam analoga censenda morbis iis, quos pathologi nomine febrium pituitosarum, biliosarum etc. insignivere; nunquam enim in his hypertrophia lienis observatur, quae in febribus intermittentibus constans est.

8. Qualisnam medela hypertrophiae lienis opponenda? — Venaesectio, probantibus id casibus supra allatis, in volumen lienis promptam nunquam manifestat actionem, eo magis autem chininum. Tumor enim lienis saepe jam spatio 24 horarum notabiliter imminuebatur; nonnullis in casibus mediocres suffecere doses; in aliis nimiae erant adhibendae. In hypertrophia lienis majores in genere chinini doses porrigendae. —

9. An febris intermittens sanata dici potest hypertrophia lienis adhuc praesente? — Uti observationes supramemoratae docuere, usus chinini post cessationem quoque insultuum continuandus, imo si hypertrophia lienis perstet, doses quoque augendae sunt; per hanc medendi methodum sanatio magis adhuc confirmatur, atque recidivae, adfectionesque chronicae, queis sedem lien praebere potest, praevertuntur.

Hic ergo est complexus observationum a Piorry circa febres intermittentes institutarum; — de quibus quidnam sentiendum sit dijudicare et determinare, mihi, Artis giganteae imbecillo tironi haud convenit; — sentiat, et sentiet id quisque. — Sunt tamen et alii, qui infarctum lienis pro causa febris saltem probabili agnoscunt.

Aetiologia.

Plurimi, si non omnes, in eo consentiunt auctores, quod plurimae febrium intermittentium exhalationibus pa-

ludosis originem suam debeant. Ex innumeris enim evictum constat observationibus, morbos hos in regionibus, locisque ad littora marium, in vicinia lacuum, paludum, lacunarumque stagnantium sitis endemice regnare. — Sic endemice occurunt febres intermittentes in litoribus maris Adriatici, et mediterranei; ad lacunas Venetiarum, ad paludes Mantuanas, ad sinum Tarentinum, ad lacus Pontinicos, ad ostia Tiberis; porro ad sinum Genevae, ad Malagam, Gibraltar, portum Gaditanum etc. et in Hollandia; porro in regionibus paludosis et uliginosis Hungariae permultis, et a. — Sic frequenter occurrunt in regionibus solo argillaceo gaudentibus, quod verosimillime ab humiditate dependere videtur, quae per aquam (cujus filtratio hic difficilius contingit) in superficie terrae remanentem, continuo sustinetur; hacque ratione tempore veris ingruentibus diebus calidis, sicuti autumno, ubi crustae per aestum solis in simili solo formatae, per pluvias emollitae sunt, insalubres causantur evaporationes. Quare et in locis in planicie late extensa, aut in vallibus profundis, angustisve sitis; multiplici tempestatum et temperaturae vicissitudinibus subjectis, nemorosis; nebulis pluviisque frequentibus, stagna formantibus expositis; uliginosis; humido frigidis, prae aliis frequentius occurrunt. —

Observationes docent, febres intermittentes in regionibus nonnullis, ubi hae antea vix notae fuerant, frequentes evasisse, ex aliis contra, iis antea abnoxiis, successive exterminatas fuisse. Quod vero haud difficile explicatu, si perpenditur causas easdem progignentes una ex parte suboriri, alia ex parte vero natura, aut arte amoveri posse; per aquaeductus etenim, canales, sicut et exsiccationem stagnorum, et uliginum; per exterminationem porro sylvarum densarum, liberum aeris, ventique perpurgantis et exsiccantis accessum impedientium, permultae jam, sicut ab aliis morbis pertinacibus, ita et a febribus intermittentibus immunes redditae sunt regiones. Sic Lancisi per similes in Italia factas institutiones immortalem sibi vindicavit famam.

Dantur item regiones, in quibus febris intermittens nunquam, aut saltem rarissime occurrit (Tenka de Krzovitz l. c. pag. 125) uti in India, in Promont. bonae spei, in Islandia, Grönlandia, Scotia, pluribus Sueciae regionibus; in Laponia, nonnullisque aliis adhuc provinciis septemtrionalibus; et probabile videtur, in climate, vivendi

genere, nutrimentis etc. harum regionum proprium quid latere, per quod incolae earum, a mutationibus morbosis, febribus his ansam praebentibus immunes deprehenduntur. Constat porro in regionibus montosis pariter febres intermittentes, aut saltem certas earum species vix unquam observari, (quamquam in regionibus montosis Helvetiae indolem saepe induant summe malignam) sicuti certum e contra habetur, nonnunquam epidemias febrium intermittentium absque causa sufficienter cognita exoriri.

Miasmata, sive ex materiis vegetabilibus, sive animalibus putrescentibus prodeuntia, indiscriminatim febres intermittentes progignere credita sunt. Quibusdam tamen recentioris temporis observatoribus, nonnisi miasmata ex putrescentibus partibus vegetabilibus oriunda febres intermittentes, miasmata vero originis animalis typhum procreare videntur. Adserto huic argumento inservire videtur observatio, quod in regionibus, locisque quorum incolae culturae cannabis operam navant, febres intermittentes frequentius prae aliis occurrunt, ut adeo epidemiae febrium intermittentium inductione aut sublatione culturae cannabis pro re nata provocari, aut abigi possint. Et procul dubio in Hungaria quoque, ubi tanta quotannis producitur cannabis copia, cujus culturae maceratio longaeva maximam fere constituit partem, ad tantam febrium intermittentium frequentiam, symbolam conferre videtur haud spernendam.

Caeterum investigationes chemicae ad eruendam naturam, indolemque miasmatum paludosorum febres excitantium nihil hucadusque praestitere.

Dispositio.

Ex observatis nulla pariter hucadusque noscitur corporis constitutio in febres intermittentes speciatim disponens. Subjecta enim sexus utriusque, omnis aetatis ac temperamenti, sanissima quoque in hasce incidere possunt febres, potentiis easdem producentibus exposita. Constat tamen ex experientia, in illas caeteris esse proniores exoticos prae indigenis; brevi ante, vel iteratim febrem intermittentem passos; item phlegmaticos, languidos, cachecticos; viscerum abdominalium infarctibus, digestionis vitiis laborantes, denique actioni momentorum causalium mox recensendorum commissos.

Causae excitantes.

Sunt autem hac partim pandemiae, (supra jam recensitae) partim sporadicae, nunc enumerandae, uti: habitatio in habitaculis depressis, humidis, udis; refrigeratio a tempestate humido-frigida, pluvia, balneo, potu frigido; indigestio a cibis crudis, tenacibus, pinguibus, et vel maxime a carne suilla, piscibus, ostreis, ovis coctis, caseo etc.; (Torti ex esu fici pharaonis febrem intermittentem tertianam constanter oriri refert) item a certis incongruis ciborum potuumque miscelis, v. g. suillae pinguis, aut vervecinae cum aqua frigide hausta, acetarii cucumerum, fructuum horaeorum acidulorum cum lacte aut lacticiniis etc. etc. porro ira, terror, subinde et alii deprimentes animi adfectus; impetiginum chronicarum, uti scabiei, herpetis, lichenis, (Poupart [de lichen. pag. 76.] refert: individuum lichene et febri intermittente alternatim laborasse, ita ut recedente illo haec, cessante vero hac ille caput extulerit.) nec non ulcerum suppressio; profluviorum tam normalium, quam habitualium, quemadmodum fluxus menstrui, haemorrhoidalis etc. restrictio; praepedita arthritidis ad articulos evolutio; idiosyncrasiae variae, (Trnka de Krzowity vol. I. qag. 97 etc.) tandem forsan et contagium, uti hoc testimoniis fide dignis virorum nonnullorum (a Trnka l. c. p. 121 collectis) uti: Meibomii, Cleghorn, Fr. Hoffmann, Burserii, S. G. Vogel, Sydenhami et alior. comprobatur.

De causa proxima.

Pro natura s. essentia febrium intermittentium indicanda ex hucusque dictis sequentia fluunt: certum quidem habetur, notas febris intermittentis tum diagnosticas, tum ab aliis morbis disdinctivas essentiales in paroxysmorum cum apyrexiis alternatione, et in praesentia substantiva inveniri: quae autem sit ejusdem essentia, seu causa proxima dicta, tot investigationibus hucusque institutis revelari, tot hypothesibus partim ingeniosis dilucidari nondum potuit.

Ex historia Medicinae abunde cognitum est veteres morbum hunc in substrato quodam materiali quesivisse, ubi e contra recentioris aevi medici essentiam ejus Neu-

ropathiam, et nominatim adfectionem dynamicam, systema gangliorum praecipue plectentem esse declarant. Atque ex his Tissot unus ex primis fuisse videtur, qui hanc palamfecit opinionem, cui deinceps et Reil accessit. Caeterum objectum hoc nonnisi recentissimis temporibus, uti a Schneider, Baumgärtner, Berndt uberius pertractatum invenitur.

Baumgärtner nominatim praecipuas circa causam proximam febris intermittentis prolatas opiniones in duas quasi dislocavit series; primam seriem constituunt illae, secundum quas causa proxima immediate in sanguine, et in humorum massa in genere, querenda est. Huc referuntur Willis, Sydenham, Vogel e. a. — In secundam autem seriem illas collocat, quae causam proximam in systemate nervoso sitam esse profitentur. Hujus opinionis sunt Hoffmann, Hufeland, Sprengel e. a., quibus Baumgärtner se ipsum quoque accedere e sequentibus declarat causis:

1. Insultus febriles quidam, nonnunquam absque criticis terminantur evacuationibus, totusque saepe disparet morbus, absque eliminatione materierum; quod fieri non posset si materiales mutationes, continuo regenerandae, immediatam febris sisterent causam.

2. Insultus febriles, medicaminibus brevi ante invasionem porrectis, (tempore igitur massam humorum emendandi vix concesso) quinimo per influxus mere psychicos, (uti hoc curae sic dictae sympatheticae comprobant) praevertere valemus, quin actio perceptibilis in materies fluidas, v. g. secretio uberior observetur.

3. Dantur status morbosi febribus intermittentibus multum affines, periodos easdem celebrantes, a plurimis auctoribus ad febres intermittentes numerati, et ex eodem certe cum iis fonte scaturientes; quorumve sedes procul dubio in systemate nervoso querenda. Huc referuntur affectiones nervosae ad febres intermittentes larvatas spectantes, uti feb. int. larv. comatosa, kephalalgica, neuralgica convulsiva etc. Adfectiones hae pariter ac febres intermittentes sedem originis suae, in genere organa abdominalia agnoscunt, remediis sic dictis antifebrilibus communiter fugantur, absque crisi terminantur, a materia profecto nocifera, in systemate vasornm nidulante dependere vix possunt.

4. Febris intermittens recedens, in puram saepe transmutatur adfectionem nervosam, ubi deinceps saepe v. g. kephalagia insultus febrilis vices agit.

5. Intermissiones plenariae, universarum fere affectionum nervosarum proprietatem sistunt; et nec facili locum habere possunt negotio, crassioribus materiae mutationibus praesentibus.

Quo obtutu igitur febres intermittentes aptius juxta epilepsiam et morbos nervosos generatim, ac juxta plurimas febrium aliarum collocantur.

Quum igitur idem (Baumgärtner) existimaret causas febrim gignentes praecipue in systema gangliosum nocivos exercere influxus; quum porro febrem intermittentem (ut dicit) nunquam non passio vegetationis, organorumve vitae vegetativae excipiat; quum evolutio ejus, praesentiam adfectionis gangliorum testetur; quum actio chinini vi sua specifica in systema gangliornm feratur; quum tandem plurimi aliorum quoque morborum, certis periodis adstrictorum in organis, nervos suos a systemate ganglioso petentibus, aut cum systemate hocce consensum foventibus suam agnoscant sedem: profecto jure concludere se posse opinatur, fontem febrium intermittentium in sistemate nervorum (gangliorum) residere.

Berndt huicce opinioni proxime se accedere profitetur; nam illi quoque peculiaris evolutio paroxysmorum singulorum, sicut decursus morbi totius; momenta item causalia, processum morbosum testari videntur, qui, in laesione dynamica processus vitalis, speciatim sphaerae vegetativae consistens, a systemate gangliorum dependet.

Aliorum quoque opiniones de causa proxima ac essentia processus morbosi, phaenomena febrium intermittentium provocantis hic adducere, non absonum fore existimo; sic.

Galenus, Selle et pro parte etiam Sylvius Willisius et alii statuunt: materiam febrificam propriam, in systemate gastrico typice generari, et in sanguinem devehi.

R. Mead periodicum momentorum externorum, ab athmosphaera pendentium, subesse putat influxum;

Van Swieten Certam systematis nervosi dispositionem periodicam (?)

Brown nonnissi debilitatem asthenicam,

Cullen fibrarum muscularium spasmum inculpandum esse existimat;

Marcus essentiam febris intermittentis in statu inflammatorio vasorum lymphaticorum querendam esse statuit.

S. G. Vogel, opinionem suam sequentibus indigitare videtur: „Indubitatissimae evincunt experientiae, in multis casibus nullam materialem causam inculpari posse; saepe enim febres intermittentes subito, et in sanissimis quoque individuis prorumpere, et pariter subito, absque ulla evacuatione disparere observantur. (Therap P. I., Cap. 2.)

Sprengel in impeditis conductione et consumtione imponderabilium in systemate splanchnico haerere, et tandem

Celeberrimus **Fr. nob. ab Hildenbrand** morbi substratum et focum in sphaera sensitiva systematis productivi querens, febres intermittentes qua febriles systematis reproductivi nevroses spectandes esse opinatur; atque sequentem de causa earum proxima ideam concipi posse dicit: „Sublatum utpote inter singulos factores vitales processus organico dynamici (systema gangliare et sanguineum) aequilibrium, cum unius alteriusve abnormi nisu in formationem organicam, — sub forma luctae, ad nutum oscillationis macrocosmicae, periodice renovatae.

De typo periodico.

Inter febres intermittentes et morbos sic dictos periodicos (neuroses) ut supra jam commemoratum, magnam intercedere affinitatem, sequentibus ultro probatur.

1. Morbi periodici pro se occurrere soliti, etiam in connubio cum febribus intermittentibus occurrere observantur, febrium intermittentium malignarum tunc nomine venientes.

2. Febres intermittentes et morbi periodici dicti persaepe alternatim occurrere observantur, ita ut hos illae, et illas hi excipiant; item unum in alium transire morbum aeque non infriquens est.

3. Insultus periodici, sicut et intervalla lucida sunt proprietates, morbis periodicis non secus ac febribus intermittentibus convenientes.

4. Qualitates lotii intervallis liberis missi, relate ad colorem, (rutilum) et sedimentum (latericium) ut Sydenham, Boerhaave, van Swieten, Senac, Medi-

cus et alii referunt, itidem illis pariter ac his communes sunt morbis; ac tandem

5. Febres intermittentes sicut et morbi periodici eidem cedunt medelae.

Si itaque morbi quidam nunc pro se soli, nunc in connubio, nunc alternatim cum altero occurrere; si alter in alterum transire potest; si uterque easdem celebrat periodos, insultuum videlicet et intervallorum lucidorum; si denique eandem uterque exposcit medendi methodum: quidni concludere fas sit, magnam inter hunc et illum vigere affinitatem? hincque juste concludi posse videtur, febrium intermittentium, sicut morborum periodicorum causam originis atque naturam eandem, et nonnisi formam diversam; ambas adeoque morborum series ad unum eundemque ordinem referri, differentiisque species constitui posse.

Idem elucere videtur e verbis S. G. Vogel, qui (l. c. pag. 60.) dicit: „causa propingua diversarum febris intermittentis specierum, febrium remittentium, et aliorum morborum periodicorum non febrilium, magnam videtur habere analogiam; cum morbi hi per similes causas provocentur, unus ex alio oriantur, alter in alterum transeant, easdem periodos, ordinemque observent, eademque remedia exposcant. Id saltem cum quapiam certitudine affirmare ausim, omnes morbos, quos cortex peruvianus per infallibilem suam erga febres intermittentes vim specificam sanare valet, cum his eandem agnoscere causam proximam.“

Ast et aliorum de re medica optime meritorum asserta idem comprobare videntur:

Sic Morton (pag. 236.) inter cetera dicit: „Siquidem inter innumera illa symptomata hasce febres comitari solita, nullum est quod non aliquando vehementer saeviat, ut vita aegri inde in praesens discrimen abducatur, et typus febris in variis suis stadiis algoris, caloris, sudoris abscondatur penitus, et opprimatur, ita ut neque ex urina, temperie, pulsu, vel alio quocunque solito modo distingui possit, verum sub larva algoris funesti, commotionis indesinentis, diarrhoeae torminosae, cholerae morbi, hemicraniae periodicae, apoplexiae, spasmi universalis, doloris lateris punctorii, vel arthritici etc. etc. secure delitescens medicum a scopo suo non raro abducat. Symptoma quidem interea remediis propriis, sed incassum ten-

tatur; nam posthabito fermento febrili, proxima effervescentiae periodo priora aut deteriora symptomata inexpectato recrudescunt, Medicus Sisyphi saxum volvit, atque aeger vitae dulcissimae dispendio, aut saltem magno sumptu, ignorantiae, vel incuriae medici poenas sero luit.“

Sydenham quoque morbos periodicos ad febres intermittentes numerat. En propria ejus verba circa hoc objectum prolata: (oper. med. p. 191.) „Hic autem commemorare libet, quod sub primos hujus constitutionis annos symptoma quoddam insigne febribus intermittentibus quandoque supervenerit; nempe earum paroxysmi non cum rigore et humore, quos postea febris excipit, invadebant, sed aeger iisdem plane symptomatibus tentabatur, ac si apoplexia vera laborasset, quae tamen nil aliud esset, utcunque hunc affectum aemultaretur, quam ipsa febris caput impetens, ut ex aliis signis, ita ex colore urinae satis liquebat, quae intermittentibus utplurimum rubore saturate exstat, et sedimentum deponit pulverem latericium fere referens. Hoc autem in casu, quantumlibet evacuationes omnes, cujuscunque demum generis sint, indicare videntur ad revellendos scilicet ex cerebro humores, ut in apoplexia primaria fieri solet: eaedem tamen omnino omittendae sunt, utpote, quae originariae hujus symptomatis causae, febri nempe intermittenti prorsus adversantur, ac proinde mortem accersunt; quod et ipse novi. At contra exspectandum, donec paroxysmus sponte sua evanuerit, quo tempore cortex, modo citius idem ingeri non poterit, quamprimum est exhibendus, et intervallis, ab ejusmodi accessionibus liberis idem sedulo repetendus, usque dum perfecte convaluerit aeger.“

Van Swieten hanc pariter adfirmat affinitatem, uti hoc e verbis illius (De recond. febr. natur. p. 66.) sat clare emergit: „sed si quaedam sint febres, quae febrim intermittentem mentiantur, ita et ipsa alios mentiri solet affectus; est ubi in quadam parte latere, aut colligi possit ejus vis, ita ut haec pars sola, aut maxime videatur aegra; deinde vero peculiaria sibi adsciscere potest symptomata, in quibus tota morbi vis posita videatur; alios denique potest aemulari morbos, qui suo more incedunt, nihilque praeseferunt, quod intermittentium febrium indolem aut speciem referat.“

Senac qui morbos periodicos primus in ordinem

collegit systematicum, eos febrium intermittentium species esse declarat.

Huxam pari ratione morbos periodicos inter febres recenset intermittentes (Theses sistentes febr. divis. Div. IX. et X. pag. 120 — 135.).

De Haen morbos periodicos in eos cum, et sine febre occurrentes subdividit, quos autem ambos pro febrium intermittentium speciebus habet.

Tandem Störk Morbos periodicos in Capite de febribus intermittentibus pertractat, illisque pariter ac his eandem medendi methodum opponit, manifesto indicio: Ambas morborum series haud multum a se invicem differe. —

Post haec magni omnino esset momenti causam

Characteris intermittentis,

hujusque typorum diversorum enodare: Ast, et notionem immediatam status organici, conditionumque, quarum sub influxu insultus singuli febrium intermittentium evolvuntur, nos hucadusque latere, negari pariter haud potest. — Probabile quidem est statum hunc, conditionesque easdem esse cum iis, quae insultibus conveniunt neuralgicis; qui vero ultimi ipsi pariter nostram penitus fere fugiunt cognitionem. Rarissime enim prostat occasio partes aegrotas anatomice investigandi; nam, ut notum, neuralgiae intermittentes, si complicationum expertes sint, rarissime mortem adducunt. Dubitare vero vix licet, materiales laesiones partium, unde phaenomena febris intermittentis ordiuntur, haud profunde radicatas, et indolis quasi volatilis esse debere, quum typum induant intermittentem; nec enim laesio gravis structurae organorum, et profunda, pari ratione accederet et recederet, post intervallum aliquot horarum, unius aut duarum dierum denuo reditura, quum laesio hujuscemodi necessario constans est; quam consequenter proprietatem et symptomata, utpote signa observationi nostrae patentia, praeseferre debere sponte liquet.

Caeterum plurimi medicorum solutioni hujus problematis operam navantium, difficultates operi huic sese opponentes aut ambierunt, aut adhuc auxerunt, problemate adhucdum non soluto haerente; sic

Th. Willis characterem intermittentem evolutioni periodicae materiae cujusdam fermentantis in sanguine

adscribit. Ast etsi verum esset febrem a simili dependere causa; explicationis nihilominus adhuc egeret: cur, quomodo, et per quid evolutio haec periodice obtineat?

Sed nec aliis clarissimis sane viris, uti Boerhaave, Stoll, Selle, P. Frank e. a. contigit phaenomeni intermissionis causam reddere sufficientem.

Boerhaave et Stoll enim phaenomenon hoc ab inexplicabili — adfectione nervorum;

Selle et P. Frank autem a peculiari, aut sui generis irritatione Systematis nervosi, et nominatim nervorum primarum viarum derivare rati sunt;

Reil intermissionem febrium, cum intermissione activitatis organicae in genere, et nutritionis in specie cohaerere dicit. Caeterum intermissiones has organicas, iis in Universo observandis adscribit, quarum tamen originem ignotam esse fatetur.

Werlhof (observat. de febr. int.) de intermissione febrium sequentia profert. „Mihi sane in statuendis harum rerum omnium causis, nullam omnino adhuc satisfacere hypothesin, ut omnes scrupulos eximat, ingenue fateor; et aetiologiam febrium harum inter arcana naturae miracula reponendam esse, pace summorum virorum, qui suis forte explicationibus suae, multorumque curiositati sufficiunt, non possum non existimare;“ — et paulo post sic continuat: „Typorum et periodorum febrilium miracula vidit omnis aetas, et obstupuit; videbit omnis posteritas, posteritas forsan omnis obstupescet.“

Nuncque tractatum hunc, de objectis tantae omnino dignitatis, totque onustis hypothesibus, opinionibus, conjecturationibusque vacillantibus, tam parum de objecto luminis subministrantibus, aptissime conclusum iri existimo, verba Illustrissimi Archiatri J. N. nob. a Raimann in Princ. path. et ther. spec. pag. 204 e. s. prolata adducendo: Adserta enim allata hypotheses sistunt partim inanes, partim saltem imperfectas, in therapiae proficuae basim minime cedentes. Febrium enim intermittentium symptomata, decursus ac crisium rationes, exitus, momenta causalia, methodumque medendi ac remedia salutifera conferendo, ad adserta quidem ducimur, febres intermittentes, nisi ex systematis gastrici morbo proficiscantur, cum eminente omnino ejusdem adfectione essentialiter junctas obvenire; hanc adfectionem continuam esse videri, sed qua adfectionem systematis in

statu sano ad functiones periodice exaltatas destinati, aeque solum periodice ad febris brevis gradum ac formam adaugeri: eamque sese offerre nec pure inflammatoriam, nec nervosam, sed indolis propriae, et nonnisi cum charactere jam inflammatorio, jam nervoso, jam putrido consociatam: — Ast haec plane indoles propria, omnium intermittentium essentia, et typi varii, atque huic respondentis diversi intrantium paroxysmorum temporis ratio needum liquent, cunctis hucusque theoriae tentaminibus non illustratae. — Deficiente itaque naturae febrium intermittentium cognitione certa et completa, consultum est, non adhaerere hypothesibus, sed symptomatum potius essentialium omnium complexum et successionem, praedominantes organorum singulorum adfectiones, febris ipsius characterem, cum paroxysmorum conditione et typo, momenta causalia nota firmiter amplecti: atque in therapia justam eorum sicut complicationum habere rationem. —

Prognosis.

Quae in morborum futuro eventu plus minusve probabili praesagiendo tutissime ducit prognosis, est empirico-rationalis, quae videlicet ex pensitatis rite morbi totius charactere et gradu, apyrexiis, observata hucusque, et epidemiae regnanti propia decurrendi ratione, duratione, momentis geneticis, constitutione ac vitae genere aegri, cognitisque tum naturae medentis viribus, tum artis auxiliantis facultate hauritur.

Febres intermittentes morbum sistunt in genere non periculosum, imo, ut jam commemoratum, diutius, et longo plane tempore perstare possunt, quin tamen vita aegri exinde periclitetur, quinimo, ut supra visum, exempla prostant sat copiosa, e quibus constat, morbos diuturnos, pertinacesve saepe per febrem intermittentem superaccedentem non mitigari solum, sed revera sufferi Gravioris tamen notae est Prognosis in febribus intermittentibus pravae indolis, gradusque altioris, cum hae profundiorem facile in vita vegetativa ponunt turbam, atque in organa ipsa vegetativa per reditus crebriores facile noxium exercere possunt influxum —

Quoad subjecta constat, senes, pueros, infantes, mulieres gravidas, puerperas: subjecta item haemoptoica et phtisica, debilia, effeminata, scorbutica et syphilitica,

deprimentibus animi pathematibus vexata, gravius plecti febribus intermittentibus, ac individua juvenilia, feminas non gravidas, subjecta porro robusta, sanitatis vigore plena, quorumve corpus sanguine abundat.

Febres autumnales pejores habentur vernalibus, recidivas enim frequentissime patiuntur, et per totam hyemem interdum durant. Pessimae censentur aestivae, utpote in anomalias pronissimae.

Benignae sunt febres manifestae, singula stadia rite percurrentes, solemni crisi finientes. Omnes e contra febres comitatae et larvatae sunt mali moris; et quidem quo nobilius organon topice adfectum, eo majus discrimen. Quibus unum alterumve deficit stadium, pariter difficilius sanantur.

Quo magis febres intermittentes ab ordine deflectunt, quo manifestius semet duplicant, et typum inordinatum induunt, eo pejus. Hinc febres erraticae regularibus, compositae simplicibus pertinaciores sunt. Pertinacissima dicitur quartana, et quotidiana duplicata. Omnium obsequiosissima est tertiana. — Febres consistentes, inveteratae et recidivae crebro habituales fiunt, ac difficulter sanantur. Anticipantes in continuas facile abeunt, minorem tamen ostendunt pervicaciam ac postponentes. — Febres simplices, et meracas complicatis minus esse periculosas per se liquet; malae utique sunt complicationes insignes viscerum abdominalium obstructiones, sanationi enim plurimum obstant.

Signis bonis adnumeratur hydroa febrilis, supra jam descripta, quae nisi a fomite gastrico pendeat, pro critico habetur phaenomeno. Urinae stramineae copiosus per plures hebdomadas fluxus faustis pariter adnumeratur signis. Febricitantes, quos fames canina simul vexat, in praecipiti versari dicuntur. (Vogel).

Therapia.

Febris intermittens facilius sanari, ac rite definiri potest, imo inter communes, seu benignas plures sponte quoque, seu absque artis auxilio sanari haud rarum est. — Quod remedia adtinet; quae febrifugorum, antifebrilium, antipyreticorum, antiperiodicorum nomen adscivere, haec amplo sane hodiedum habentur numero, quibus tamen cunctis Chinam palman praeripere

nemo amplius inficias ibit. — Priusquam tamen remedia febrifuga proprie sic dicta uberius pertractem, de methodo medendi singulorum paroxysmi stadiorum quaedam praemisisse volo.

Cura Paroxysmorum.

Haec alioquin eo tendit, ut stadium praesens quantocius ad finem perducatur, stadium insequens vero quantum fieri potest provocetur, donec sudor universalis, utpote crisis paroxysmi, appareat. Sequentes igitur sub paroxysmo quovis adimplendae forent indicationes:

1. Sub stadio frigoris evolutio caloris promovenda;

2. Sub stadio caloris sudor provocandus; quibus accedit et indicatio

3. Symptomatum videlicet eminentium ac urgentium respectus habendus. Et quidem ingruente.

Stadio frigoris aeger mox cubile temperaturae moderatae, quietumque, et paullo post lectum petat, praevie calefactum; Stragula ipsa durante hocce stadio magis foventia sint oportet, imo frigore nimis valido, aut spasmis conjuncto, lintea calefacta abdomini, lateres, vitraque calefacientia pedibus applicari possunt. Insimul sitis aegri fallenda per potulenta aromatica, leniter diaphoretica, tepidule hausta, uti inf. Chamom. vulg. flor. Tiliae, Sambuc, Valer, Menth. crisp. et piperit. etc.

Stadio hocce nimis diu durante, et si intermittens inflammatoria non fuerit, guttae aliquot Liq. Anod. Min. Hoffm, aut et Tinct. opii illud absque detrimento aegri imminuere dicuntur. Nonnulli balnea calida, aut vaporacea commendant. — Obligatione porro artuum ingruentibus paroxysmi prodromis adhibita, insultus poene praecaveri fertur. Ligamenta tamen post horam dimidiam, stupore artuum invadente, successive solvenda sunt.

Methodus sub initio paroxysmorum emeticum porrigendi, utpote plurimis in casibus optato destituta effectu, utut a nonnullis adhucdum celebretur, derelicta, et nonnisi nausea pertinaci praesente, vomitus ciendus; huicque scopo aqua tepida utplurimum sufficit. Suboriente

Stadio Caloris Stragula imminui debent, uti et remedia cuncta stimulando calefacientia. Potus nunc aciduisculus. paululum refrigerans, aut, plurimis aegris avide exposcentibus, aqua simplex, egelide sorbillanda, conce-

ditur. Ast sudor jam jam prodeuns, potulentis denuo calidioribus, theatis; tepore lecti aequabili blande promovendus, haudquaquam vero remediis diaphoreticis stimulantibus vi proliciendus, facilis enim exinde apyrexiae exoriretur turba. Ab omni sedulo caveatur refrigerio, indusiaque profundo sudore imbuta debitis mutentur cautelis; madida enim facile refrigerantur ac recentes in sensili cute excitant horripilationes et contractiones, quibus recens non raro invitatur paroxysmus, aut regularis interturbatur febris decursus.

Hucusque dicta in casibus iis, ubi febris intermittens mitissima apparuerit sub forma, scopo de regula sufficient. Ubi tamen symptomata plus minus gravia et urgentia molestarent aegrum, iis pro re nata, prudenter seduloque occurrendum, quinimo si calor nimium exorbitet, atque orgasmus excessivus congestiones validas ad enkephalon, organa thoracis aut abdominis, indeque orta symptomata periculosa produceret, favente praeprimis epidemiae, et subjectivae constitutionis in diathesin phlogisticam propensione, ipsi sanguinis depleitioni universali et locali locus conceditur. Liberatis enim justa sanguinis missione viribus, ac expansivae potentiae vigore tantillum infracto, criticae non solum expediuntur operationes, verum etiam ipsa febris subinde jugulatur.

Cura extra paroxysmum.

Cura ad febrem intermittentem radicitus tollendam tendens, tempore paroxysmis intercalato maximam partem institui solet. — Etiamsi in curandis febribus intermittentibus ratio typi, et praesertim periodicitas suum omnino mereatur respectum, cardinem tamen omnis curativae indicationis constituit febris natura, seu character.

Intermittentium simplicium indoles quidem semper eadem est, et nonnisi pro diversitate circumstantiarum leves quasdam atitur modificationes; quapropter etiam medendi methodus vix non constantibus innititur et dirigitur regulis. — Habentur tamen e contrario aliae febres, quae ex parte a n o m a l i a r u m et c o m p l i c a t i o n u m varium manifestant characterem; quarum proin et cura pro ratione complicationum, aut symptomatum praevalentium variabit.

Remediis, contra febres intermittentes varias, et praeprimis regulares, complicationumve expertes, experientia comprobatis adnumerantur:

1. Tonica amara simplicia, quorum plura simul solventia sunt: Rad. Tarax, Cichor, Gentian, Colomb; Herb. Trif. fibr., Cent. min, Card. ben; lign. Quass; quae febribus mitioribus quandoque sufficunt atque in febrium principio, maxime salibus mediis juncta semper conveniunt. Majorem adhuc efficaciam produnt Cort. Angust. ver, et Liriodend. tulipif.

2. Tonica adstringentia, quae principio tannino, s. skytodephico scatent: Cort. variarum salicis specierum, Cort. Hippocast, Fraxin, Betul. alb. et Aln, Pyri mali, Sorb. aucup, Prun. Spin, Cort. Mahag, Swietenian, Granat; Cort. et Gland. Querc: Gallae; Rad. Tormentil.

3. Tonica martialia: Omnia proinde praeparata Ferri, maxime Vitriol. martis, phosph, et hydrocyanas ferri.

4. Tonica Amaro-Aromat: Absynth, Cort. Cascaril, Rhois cotin: Flor. Chamom; Rad. Cal. aromat, Caryophyllat, Pyrethr.

5. Tonica amaro-mucilaginosa: Lich. island, et pariet. a Sander laudatus.

6. Tonica Cinchonacea: quae proprio principio chinaceo, vel ei analogo gaudent; Cort. peruvian, et aliae Chinae species, Fab. Coff. — Tonicis proxime accedunt

7. Stimulantia, quae incitationi organicae constantius addunt robur; talia sunt vegetabilia quaedam acrira, uti Chelid. maj, Ipecas. dr. Flor. Arnic, sem. Sinap. nigr. Piper nig, alb, et Cubeb, Capsic. ann, allium; Acria Mineralia, quae priorum adistar simul potenter resolventia sunt; sales quidam neutri et oxyda mettallica; Sal ammon, Mur. Baryt, praep. Stibii, Mercurialia, Arsenicum; e regno anim. Cantharides.

8. Stimulantia expansiva, cum tonicis aromaticis summam analogiam habentia; huc spectant: Camphoracea, Aetherea, Resinosa, Alcoholica, Balsamica, Ammoniacalia; prae aliis Ment. pip, et crisp, Cinnam, Flaved. Cort. Aurant, Phellandr. aquat, Valer. sylv. et Celtica; Therebint, Petrol, Ol anim. Dipell, Phosphor. — Agmen Medicaminum artifebrilum claudunt

9. Narcotica, et quidem inter simplicia eminet Opium, inter narcotico-acria Fab. St. Ignat, Aconit, Stip. Dulcam.

Sub tanta remediorum grege, quae quidem singula in singulis casibus salutiferas dicuntur manifestasse virtutes, quae vix tamen ubique sufficiunt, plurimum interest, ut aptus fiat eorum selectus, quorum efficaciam majorem experientia confirmavit, et quorum speciales dotes causui speciali magis consentaneae censentur; et quidem a lenioribus ordiendum, adque magis generosa ascendendum. — Si febris pura et simplex non fuerit, ut talis quantum fieri potest reddatur, adlaborandum. Caeterum nimis praecox febrium intermittentium fuga, damnosa facile evadere potest; compertum enim habetur, salutares virium naturae ipsius sub primis paroxymis conatus, notabilem exere influxum in decursum febris regularem, quinimo ei debellandae sat saepe sufficere.

Sunt adhuc remedia quaedam externa, quorum proficua in intermittentibus actio praxi confirmatur: Antagonistica videlicet seu revellentia, et ex his largum vesicans, aut synapismus epigastrio adplicitus plurimum prodest; nec desunt exempla febrium, quas exanthema pustulosum ope tartari emetici in abdomine excitatum radicitus sustulit. Litu quoque spirituoso-aethereo juxta spinam dorsalem utuntur nonnulli.

Ejusmodi methodo, ad normam casus individualis prudenter modificata plurimae feliciter fugantur intermittentes, praecipue vero vernales benignae, tertianae, quotidianae, et recentes quartanae; — Interdum tamen indicata mutare oportet, in aliis demum casibus, ut in febribus autumnalibus, endemicis, inveteratis, recidivantibus, remediis supra enumeratis copulanda sunt, aut pro re nata alia substituenda, quorum virtus (quamquam modo nondum sufficienter cognito) per experientiam plurimorum de re medica optime meritorum Virorum, per observationesque numerosissimis ab annis factas, omni erepta est dubio, remedia videlicet specificorum nomine insignita; ad quae China ejusque praeparata, et — Arsenicum referuntur.

Plantae, quae virtutem suam febres periodicas tollendi, singularibus debent principiis, substantiis utpote alcaloidibus chinaceis, (juxta nonnullos et Acido chinico) ex Cinchonarum genere depromuntur. Efficatia Corticis Cincho-

narum casu fortuito dedecta, cum scilicet, Hallero testante, barbari ex aqua lacuum potata, in quibus trunci Arborum macerabantur, a febre intermittente liberati fuissent. — Nomen autem a Linnaeo impertitum erat, in gratiam comitissae de Cinchon, conjugis Peruviani proregis, quae Anno 1638 usu hujus corticis e pertinaci convaluit febre. —

Nihilominus tamen acres circa usum ejus exortae sunt lites, cum multi Medicorum, praesertim Hispanicorum, suspectum eum reddere adnisi fuerint. Sydenham vero et Morton omnem adhibuere operam corticis febrifugi usum magis universalem reddendi; eumque, in emolumentum generis humani, nunc revera universalem evasisse, praeter Werlhofium, indefesso conatui celeberribi Torti in acceptis referendum habemus; inter multa enim, pro vindicanda corticis fama prolata, sic loquitur immortalis ille Mutinensis Medicus: „Per hoc quod febres perniciosas peruviano cortice curandas velim, non ideo caetera remedia rejicio, quae priusquam ingruat ferox pernicies, solo cortice domabilis, locum habere solent..... Rideo equidem, seu potius doleo, quod iis solis adeo fidamus, ut in eorum usu enervi et imbecillo, teramus assidue ac inutiliter tempus, et verum, validumque febrifugum illis posthabemus!"

Diu pariter sub judice lis erat, cuinam principio partium corticis Cinchonarum constituentium antifebriles inhaereant vires; A quo tempore tamen felicibus analysibus a clariss. viris Pelletier et Caventou institutis contigit substantias alcaloideas specificas detegere, nulli amplius subjacet dubio, in istis febrifugam delitescere virtutem.

Cum tamen cortex antipyreticus — e longinquis Americae terris advehendus — cari omnino sit pretii, quumve febres haud paucae nostratibus etiam cedant remediis, prodigum hinc foret cum omnibus opponere velle febribus; qua de causa usus ejus ad sequentes restringendus casus: In febribus larvatis, perniciosis, sub quarum paroxysmis manifestis cachexia in dies crescit; nimis praecipitanter anticissantibus, cum nisu in typum continuum; in illis quae brevissimis stipantur apyrexiis; in quartanis aestivis, autumnalibus, maxime endemicis, tum simplicibus tum duplicatis; in omni febre aliis remediis renitente, habituali, ad recidivas prona, proprio habitu cachectico si-

gnata; tandem in intermittentibus, in quibus protractus et irritus diversorum auxiliorum usus metum alius mali, aut sumptus cortice peruviano majores producit.

Sunt item momenta, quae cinchonaceorum usum prohibent, uti: complicationes cum charactere inflammatorio, sive universalis sit hypersthenia, et diathesis phlogistica, sive topica nobilioris cujusdam organi inflammatio; colluvies gastrica qualiscunque indolis; viscerum abdominalium infarctus; defectus tandem apyrexiae perfectae, typus proinde subcontinuus. — Menstruatio, graviditas, puerperium corticis usui non obstant, dummodo debita dirigatur circumspectione.

Praematuram ac non accomodatam Chinae usurpationem variae excipere possunt sequelae molestae, imo damnosae, uti digestionis vitia, pondus ad epigastrium; saburra pertinax; viscerum, in specie lienis, hepatisque emphraxes; alvi anomaliae; icterus, hydropes; mutatio typi intermittentis in continuum, regularis in erraticum; aliique adhuc effectus noxii, quos nequaquam Chinae, sed pravo ejusdem usui tribuendos esse, ut jam Sydenham monuit, quotidiana docet experientia.

E numerosis Chinae speciebus, in quarum descriptione praeter alios Ruiz, Vauquelin et Humboldt magna meruere, sequentes in usum veniunt medicum:

Cortex Chinae officin. (s. fuscus, peruvianus, v. Ch. de Loxa) qui omnium optimus censetur. Circa originem ejus non conveniunt Botanici. Nonnulli enim eum a Cinch. condam. alii a Cinch. scrobicul, a Cinch. purp. alii, alii denique a. C. lancif derivari existimant. Cortex hicce genuinus, in frustis occurrit convolutis, a calamo scriptorio ad digitum crassis, siccis, duris, fragilibus, quorum externa facies fusca, transversim fissa, lichenibus albis aut caesiis obtecta, interna vero coloris rubiginosi, aut cinnamomei est; fracturam exhibet levem et splendidam, saporem amaricantem, adstringentem, odorem aromaticum specificum. Abundat principio Cinchonino, Chinini vero minorem copiam tenere dicitur.

Cort. Chinae Regius (etiam sub nomine Ch. Calissayae in commercio obveniens) quem alii a Cinch. cordif., alii a C. lancif, nitida, aut pubescente repetunt. Segmenta offert magis lignea, epidermide plurimum priva, crassiora, minus convoluta, saporis magis amari quam Cort. fuscus. De Cinchonino parum, insignem contra Chi-

nini copiam tenet, ideoque majoris efficaciae quam olim credebatur, simulque ob levius pretium commendandus.

Cort. Chinae Flavus (s. de Carthagena) cujus duas in commercio distinguunt species, durum nempe et fibrosum, quemve nonnulli a priori diversum, alii vero cum eo identicum esse volunt. Cum Ch. Regia in eo solum collimat, quod majorem Chinini quam Cinchonini copiam largitur.

Cort. Chinae Ruber, quem Cinch. oblongif, juxta alios grandif. suppeditat, odoris est debilioris, saporis amari et adstringentis, utrumque principium alcaloideum pari ferme proportione gerit. Efficaciae vix minoris ac species praecedentes, verum saepe adulteratus et aliis corticibus commixtus occurrit.

Chinam Fuscam et Regiam pro usu therapeutico, maxime si pulverem aut decoctum subministrare opus sit, cunctis reliquis palmam praeripere ex observatione constat, licet pro eliciendis alkaloidibus chinaceis etiam Cortices inferioris notae inservire possint, quibus tamen, cum supra enumerati ii fere sint, quorum communissime usus fit, quive in qualibet asservantur Pharmacia, supersedere posse existimo.

Dosis consueta Corticis febrifugi in substantia, quam, nisi peculiaris subsit morbi pertinacia, febribus fugandis plurimum sufficere experientia docuit, est ab Unc. $\frac{1}{2}$ — 1 nycthemeri spatio consumenda Ejusmodi dosis pulv. subtiliss. in 8 div. partes, dr. $\frac{1}{2}$ — 1 continentes, quarum omni 1 aut 2 hora una propinanda.

Minores doses desideratum nonnisi tunc praestant effectum, ubi aliis aptis combinatae fuerint remediis; majores contra difficulter deglutiuntur et digeruntur, stomachumve gravant. Quo brevior est apyrexia; eo majoribus crebriusque exhibitis utendum est dosibus, habito semper ad subjectum et vires digerentes respectu; quibusdam enim individuis vomitum facile creat, vel alvum oppilat. — Infantibus drach. 1 ad summum 2 sufficiunt. — Decoct. paratur ex Unc. 1, hora integra v. c. coquenda, ad Col. Unc. 10 fort. expr.

Relate ad quantitatem Chinae quam singulae febres varii typi pro sui fuga exposcunt, nullae stabilri possunt leges; in uno enim casu pauca dosis citius evadit proficua, quam larga in alio. — Febres diuturnae, recidivae, anomalae et malignae majoribus plerumque egent dosibus.

Quod attinet formam in qua Cort. Peruv. optime et communissime exhibetur, est in substantia, s. in pulv. alcoholisato, qui omnia principia non mutata continet, ac omnem Chinae virtutem gerit. Quibusdam aegris idem in formam electuarii aut boli redactus magis arridet. — Ast nonnulla subjecta vel propter idiosyncrasiam, vel ob ventriculi languorem a pulvere male afficiuntur. His Decoct. saturatum melius convenit, quod turbulentum, coloris ex fusco aurantiaci, ac odoris fragrantis specifici sit oportet.

Infusum sive aquosum, sive vinosum scopo antifebrili laudem minus meretur, principia enim efficaciora, chinaceum utpote et skytodephicum nonnisi protracta coctione extrahuntur. In casu urgente Infuso-decoctum pulvere adhuc acui solet, quae forma reliquis efficacia palmam praeripit, praesertim in connubio cum aptis coindicatis.

Extract. Ch. aquos, v. Alcoholico-aquos in iisdem casibus ad drachm. 1—2 d. d. adhibetur. Minorem tamen habere dicitur efficaciam, carum praeterea est. Ast infantibus egregie convenit, tum quod gratius est, tum quod facilius digeritur, et alvum non stipat. — Efficax porro praeparatum sistit Ttra Ch. compos. s. Elix. rob. Whyt., quam praeter Cort. peruv. Rad. Gentian. et Flaved. Cort. Aurant. ingreditur, Spir. Vini, et Aq. Cinnam. soluta, ad drachmas aliquot d. d. — Pro infantibus exstant adhuc Morsuli et Syr. Chinae.

Internus Corticis sub forma debita usus omnium securissimus est, primitivam enim ac immediatam actionem in centrum systematis Splanchnici exerit; hinc clysteres cum China haud commendandi; remedium enim digestu alioquin difficile, intestinis crassis nec subigitur, nec sufficienter absorbetur; majores porro, qui sub hac forma exiguntur doses, nunc alvum pertinaciter claudunt, meteorismum, viscerumque infarctus provocant; nunc indigestae expelluntur. Unde Methodus febres intermittentes per anum adgrediendi, jam a Torti merito vituperabatur. Hinc forma haec nonnisi ad eos restringitur casus, ubi aegri corticem ore absumere aut absolute nolunt, aut nequeunt.

Tanto minus denique sperandum erit de Balneis chinaceis, de applicatione Chinae ad carpos, de pulv. subtiliss. universae natorum cuti adsperso; cui simul parsimonia obstat.

Ab illo autem tempore, quo analysibus ingeniosissimorum virorum Pelletier et Caventou principia efficacia corticum chinaceorum, alcaloides videlicet (praeter Cinchoninum prius jam notum, etiam Chininum) inclaruere, et ex quo viri hi idonea eorum cum acidis connubia docuerunt, cuncta praemissa (si pulverem excipere velis) efficacia longe superantur, ideoque scopo saltem antipyretico faciie superflua redduntur. — Experimenta ubique terrarum instituta ac repetita, virtutes eximias alcaloidum horum, et qui inde formantur, salium, brevi extra dubium posuere, ita ut hodierno aevo vix ullus Medentium praestantissimi hujus detecti beneficium in cura febrium intermittentium ignoret; quotidiana ceteroquin experientia amplissimum rei perhibet testimonium.

Commodissimum et communissimum praeparatum sistit connubium Chinini cum Acido sulfurico, (Sulfas Chinini, v. Chinin. sulfuric.) Pro usu Medico in statu neutro communiter adhibetur, ob saporem ingratum in pillulis exhibendus. (Clariss. et Celeb. Prefessor Lippich aptam praediligit sales chinicos exhibendi methodum, qua grana salis chinici in duplo guttarum numero Acidi correspondentis, in sale videlicet contenti solvenda praescribuntur.)

Dosis singula ad gr. 1—2 omni 1—2 hora repetenda, ut nycthemeri spatio gr. 10—15 consumantur. — Juvat plerumque Infus. quoddam Amaro-aromat. alternatim interponere.

Ad febrem intermittentem qualiscunque formae aut typi debellandam de regula 20—30 gr. sufficere solent. — Qui admodum parvis utuntur dosibus, tempus et operam perdunt, nimiis ex adverso dosibus ominosa saepe symptomata kephalica et nervosa excitari dicuntur. Franc. ab Hildenbrand, Annal. Sch. clin. Ticin. Pars II. pag. 183.)

Methodus endermatica, qua videlicet Chin. sulfur. plagae vesicantis ope excoriatae ad 4—6 gr. inspergitur, utut multis in casibus antipyreticam pariter exerat virtutem (ut prae aliis Lesieur, Lembert testantur) interno tamen usui neutiquam praeferenda, praesertim ubi securus promtusve desideratur effectus, uti in febribus perniciosis.

Cinchonin. sulfuric. aequali ac Sulf. Chinini pollere virtute febrifuga, ideoque ei in iisdem casibus, eadem dosi et forma substitui posse, Celeberr. **Fr. ab Hil-**

denbrand (Annal. Tic. P. II. pag. 182) experientia propria convictus affirmat.

Sales hi, qui cum exigua mole adeo praestantes copulant vires, iis maxime conveniunt casibus, ubi prompta requiritur medela; in febribus itaque perniciosis, larvatis; in illis quae brevissimum tantum relinquunt intervallum apyreticum, uti sunt anticipantes, quae in continuas abire minantur, quotidianae protractae simplices vel duplices; praeferri quoque merentur in feminis, infantibus, aliisve subjectis sensibilioribus, qui peculiari antipathia pulv. Chinae aversantur, vel quorum stomachus imbecillior ejus molem aegre fert. — Ast cum usu eorundem recidivae, testantibus medicis plerisque, minus tuto praevertuntur, hinc in febribus recidivis, neglectis, autumnalibus quartanis, quae notabilem jam atoniam, viriumque induxerunt languorem, usus Chinae in subst. magis excellit, idoneis praesertim copulatus pharmacis Amaricantibus et Aromaticis. —

Tempus pro Cortice febrifugo ejusque praeparatis exhibendis, ex consensu Omnium fere Medicorum, maxime opportunum est illud apyrexiae. Quidam Medicorum imminentibus futuri accessus prodromis, a Cortice desistendum esse dicunt, alii e contra, inter quos et celeberr. **Fr. ab Hildenbrand**, usum Chinae debitis intervallis cousque continuari posse statuunt, donec frigus febrile evolutum jam sit; hac ratione enim remedium hocce magnam testatur scopo confundente efficaciam. Eundem in scopum Frassoni, Torti, Cullen, Hahnemann, Nasse etc. Corticem brevi ante paroxysmos in subst, dosibus non magnis (scr. 1 — dr. 1½) felici cum effectu exhibuisse adfirmant. Inde enim proximus jam paroxysmus intensitate infringi, alter vero emanere consuevit. Similem ex hac methodo successum etiam Magnificus Praeses et Archiater, Nob. a Raimann in intermittentibus sporadicis, et epidemicis bene multis observavit.

Damnosus vero facile evadit usus praeparatorum chinaceorum durante caloris stadio, damnosior adhuc sub ipso actu critico; dantur tamen nonnulli, qui eadem sub ipso paroxysmo absque noxa exhibuisse affirmant, et celeb. S. G. Vogel (Handbuch der pract. Arzneywiss. Cap. II. pag. 115) asserente, dantur revera casus, ubi imminens periculum tentamen hujuscemodi non admittit

solum, sed imo exposcit, videlicet in febribus, quarum apyrexiae fere solum remissionem aequant, verbo adeo breves sunt, ut accessus fere se invicem contingant; hic enim intermittentes in continuas abire minantur febres; ad hoc igitur praecavendum adhuc ante paroxysmi finem, mox post acmen aestus Chinam, et quidem dosibus largis, brevissima post intervalla, omni ¼ — ½ hora repetitis, optatissimo cum successu exhiberi testatur.

Usus praeparatorum Chinae de regula eousque est continuandus quousque accessus febriles recurrere non desinunt. Ast cum intermittentes insignem praeseferant in recidivas proclivitatem, hinc ob majorem securitatem usum eorum adhuc per aliquot dies accessu notari solitos (et quidem in febribus larvatis, perniciosis, autumnalibus, pertinacibus, endemicis quidquam duitius) continuare, dosibus saltem imminutis, consultum erit. Caeterum recidivae evitatio a justa convalescentiae cura plurimum dependet.

Etiamsi Cortex Peruv. febri supprimendae solus saepissime sufficere soleat, nihilominus tamen in nonnullis casibus mox vires illius febrifugas adjuvare et acuere, mox aliis simul indicationibus satisfacere oportet. Remedia scopo huicce inservientia potissimum ex aromaticis, nervinis, amaris, acribusve desumuntur, et ex his experientia maxime commendantur: Cinnam, Mentha, Valer, Arnic, Chamom, Cal. arom, Extract. amara; Salamm, Vinum, Opium etc. individuali casui prudenter adaptanda. Sic connubium Chinae cum Tart. Stib. efficacius esse complures practici testantur. — Aegris, qui Cort. Chinae ob idiosyncrasiam respuunt, aut ventriculi incommoda patiuntur, medicamen gratius reddatur, et digestu facilius, vel vero, ut supra jam dictum, s a l e s chinici substituantur. Inter corrigentia eminent aromata grata, et vinum generosum. — Decoct. Chinae cum tostis coffeae granis paratum vel mixtum feminis, vino nuptum vero viris arridere solet. Dulcia Chinae usum magis ingratum reddunt.

De A r s e n i c o adhuc, a nonnullis pariter s p e c i f i c i in febr. int. nomine salutato, sequentia dicta sunto: Etiamsi vires Arsenici antipyreticae negari non possint, a plurimis tamen securitate saltem Cortici peruv. postponitur. Quis est caeterum, quem dirissimi hujus veneni summe exitiales lateant effectus? Ad pauca enim grana exhibitum cardialgiam, vomitum, gastritidem, colicas, ver-

tiginem, deliria, convulsiones, ac repentinum imo mortis periculum adducere, nulli non compertum habetur; ut adeo expertissimi, et fide dignissimi sane viri in illis solum casibus, certe rarissimis, illud adhiberi indulgeant, in quibus, utut rite facta indicatione, et applicatione congrua, Cortex solitas non exerit vires; adeoque spes aegrum morti certae eripiendi, metum posthumorum a pharmaco truculentissimo malorum, longe superat vitalisque indicatio urget.

Pharmaca nunc, a variis practicis cum effectu plus aut minus respondente, praeparatis Chinae substituta, (s. surrogata) saltem nomine tenus commemorare non absonum fore duco; Sunt autem ea sequentia *Liriod. tulipif*, Croton Cascar, Cal. arom, *Piper nigr.* et *long. Sedum acre;* porro Trif. fibr. Gent. lut, Centaur. M. et m, Leont. tarax, Cich. intyb, Fumar. off, *Aesc. hippocast,* Cort. Querc. rob. *Aristol. rot,* Betul. alb, Fraxin excels, Prun. spin, Ceras. avium, *Lich. pariet, Cetrarinum. Phlorrhicina* (a φλοιός Rinde, et ῥίζα Wurzel) *Armoracea, Put. nuc jugl;* — Ipecac, Arnic. mont, Sinapis, Chelid. maj, Allium sat, Cort. et fol. Tax. bacc; porro substant. narcot: *Opium,* Bellad, *Digit. purp, Nux vom,* Amygd. am, Aq. lauroc, Phelland. aq — Gelat. amin, Album. ov, Ichthyocolla, *Tela aran;* porro stimul. volatil: Valer, Serpent, Angel, Nux mosch, Camph, Mosch, Ammon, Phosph, *Natr. chloric;* porro: (*Arsenic. alb.*) praep. Merc. et Antim; *Martialia,* nominatim fer. sulfuric. et hydrocyan; revellentia; nominatim sub emplastrorum febrifugorum nomine comprehensa; et demum remedia psychica, s. sic dicta sympathetica. — Ex his *typo obliquo* notata ea fere sunt, pro quorum efficacia hodiedum prae aliis plurimae habentur experientiae.

Ast utut plura commemoratorum nonnullis in casibus optato cum fructu exhiberi constet, longe tamen abest ut de uno, aut alio jure statui possit, illud in omnibus febribus, quoque modo anomaliam involventibus, (quales in longa habentur febrium irregularium, perniciosarumque serie) sufficere, quin ad sacram in hisce morbis medentium, aegrorumque Ancoram, Chinam videlicet, confugere severa jubeat necessitas; ut adeo celeberrimus T o r t i (l. c. Tom. I. pag. 435) jure merito sequentia protulerit verba: „Cum vita hominis est in discrimine, nec nisi per promptam inhibitionem paroxysmi febrilis possu-

mus declinare exitium imminens, tunc saltem aliis remediis posthabitis, ad Peruv. Corticem d e b e m u s c o n f u g e r e: nec nisi cum nostrae conscientiae detrimento possumus, ut reor, hujusmodi a u x i l i u m c e r t u m acque ac innocuum omittere. Nimium suadet hoc ipsius certitudo mortis, et certitudo remedii illam impedientis." Mirandam porro Chinae in febrib. perniciosis vim, immodicamque horum morborum sibi relictorum, morte terminandi proclivitatem ultro probaturus, sequens adducit exemplum: „Si quispiam natandi nescius mergatur in vasto gurgite, nec illi quidpiam circumprostet, quod possit prehendere, ut emergat, is profecto, licet semel aut bis conatu suo naturali, et vi subeuntis aquae, sursum trusus efferatur nonnihil: cito tamen et certo suffocabitur, ni illi baculus, vel quid simile porrigatur ab adjutrice manu. In gurgite mergitur aeger ex perniciosa febri algidus factus, et sine pulsu, utut paululum relevari semel ac iterum videatur. Lignum extrahens e gurgite est P e r u v i a n u s C o r t e x rite porrectus; manus adjutrix est manus Medici, illum methodice ac opportune porrigentis."

Verum vero, licet omni superius habeatur dubio, ne unum quidem ad hanc usque diem nosci corpus medicatum, quod Chinae semper, et ubivis tute substitui posset; et utut Celeberrimus ac Clarissimus **Fr. nob. ab Hildenbrand** profiteatur, pium hoc desiderium semper manere, eousque non explendum, quousque nota vigeat Naturae lex: „Non dantur duo entia perfecte similia": nunquam non tamen summis extollendum erit encomiis, indefessum praestantium virorum studium, S u c c e d a n e u m quodpiam Chinae eruendi pharmacon, quod pari cum securitate, ast et — minoribus sumptibus eidem substitui possit. Et sane, quod uni non concessum, continget fors alteri; quod una non revelavit aetas, revelabit alia, quod saecula latuit, patebit fors alteri: loquuntur hoc exempla vix non quotidiana. Natura enim benigna, quid ni in aliis quoque corporibus, minori sumptu comparandis, vires tantae efficaciae recondidisse potuit? et si sagaci cuidam Scrutatori ceu aevi hodierni, ceu serae posteritatis, concessum foret latentes fors alicubi vires has revelare, e profundo tenebrarum gurgite ad lucem perducere: benefactor is generis humani, pari jure ac inventor Chinae, ac promulgator ejusdem, ac detector chinini foret compellandus: gratesve illi referrent gratas — preces et lacrymae pauperum!

Regimen diaeteticum

Sicut durante febre, ita et ea jam abacta summa cum circumspectione definiendum, et adamussim est servandum; errores enim in eo commissi frequentissimam sistunt recidivarum ansam. —

Et quidem quod A e r e m a t h m o s p h a e r i c u m attinet, is purus, liber, ventillatus, siccus, temperatusve sit oportet. Vitanda igitur pro possibili est mora in locis uliginosis, cemeteriis, templis etc; ambulationes ad litora, et ripas fluviorum; aura vespertina; decubitus in cespite sub coelo frigido; refrigerium quodvis humidum; balnea. Illis, qui ob clima dammosum endemica laborant febre, ut salubriores petant terras suadendum; quibus vero circumstantiae id vetant, Athmosphaerae ambientis, conditio, artificiali modo, quantum fiere potest salubrior, aut saltem minus noxia reddatur.

Quoad V i c t u m et p o t u m cavendum est ab omnibus illis alimentis, quae vires digestrices dejiciunt, difficulter subiguntur, ac nervorum Splanchnicorum efficientiam debilitant; uti sunt fructus horaei recentes aut immaturi, carnes suillae, pisces, pinguia quaevis, caseus, lacticinia, ova cocta, panis recenter pistus; Potus fatuus, cerevisia. — Tempore apyrexiae convenit victus mixtus, digestu facilis, ex oleribus et fructibus coctis, aromate conditis, ex jusculis concentratis, carne vitulina, galinacea. Quoad quantitatem sit moderatus, imo parcus si breve fuerit intermissionis intervallum; sustineatur adpetentiae vigor, et vel maxime ante paroxysmi accessum ventriculus quantum fieri potest liberrimus sit.

Durante paroxysmo sufficit jus merum, pauxillo panis biscocti mixtum. Pro siti fallenda inserviat vinum aqua dilutum, pro re nata alius potus acidulus; post prandium modica conceditur potus arabici dosis.

V e s t i t u s is sit qui, quin corpus gravet, injurias externas optime arcere valet; tempore apyrexiae moderatus corporis motus optime conducit; imminente vero accessu, lectum petat aeger eum non derelicturus, nisi crisi absoluta, (quam blandus plerumque excipit somnus) pristinum virium robur plus minusve restitutum sit.

Febris intermittentes a regularibus quacunque ratione a b l u d e n t e s magis strenuam adhuc exigunt diaetam, ca-

sui individuali accomodatam. In febribus intermittentibus inflammatoriis et gastricis victus parcus et solvens, potus diluens; in septicis et nervosis analepticus, nutriens, cardiacus, aromaticus; in cachecticis nutriens solventi junctus indicatur.

Cura Convalescentiae.

Post fugatam febrem intermittentem, sive simplex, sive complicata ea fuerit, diligentissima requiritur Convalescentiae cura; compertum enim est, morbo licet jam abacto, longiori tempore clandestinam latere opportunitatem, causa minima data, pristino morbo revocando idoneam; hinc prae aliis requiritur assidua evitatio omnium, quae ipsum morbum provocare valent, momentorum, supra fusius recensitorum; requiritur porro strenua regiminis mox expositi observatio; protractus porro remediorum amaricantium et aromaticorum usus aprime respondet. Protractus vero Chinae usus non minus ac repetita ejus septimo (in tertianis), et decimo quarto (in quotidianis, quartanisque) post ultimum accessum die praebitio, (Sydenham, Morton et a.) non solum non necessaria, sed imo, solo jam oeconomia, obtutu, superflua censenda.

Mos, qui apud nonnullos invaluit medicos, post debellatam febrem purgantibus eum in finem utendi, ut Cortex peruv. ingestus e corpore eliminetur, exilio mulctandus; tantum enim abest ut contra imaginarium hunc hostem vim quampiam movere necessarium sit, ut potius superstes in recidivam pronitas purgantibus facile augeatur. — Cum constet imaginationem magnam in recidivas exercere imperium, hinc ex officio Medici erit, animum aegri ita disponere, ut omnem amittat rediturae febris timorem; hinc attentionem aegri meticulosi, illis maxime diebus et horis; quibus febris invadere solebat, prudenter ad alia dirigere objecta, consultum erit.

Effectibus demum durante convalescentia auferendis, pro varia exantlatae febris indole variis, varia quoque opponenda erit medela, singulis in casibus prudenter pensitanda.



LITERATURA.

Th. Sydenham, Observ. circa morbor. acut. hist riam et curat, seu Method. curandi febres; Amst. 1666.
F. Torti, Therapeutice ad febres quasdam perniciosas; Mutinae 1709.
J. P. G. Werlhof, Observat. de febrib. praecipue intermitt. Hanovia Edit. 2. Venetiis 1764.
G. van Swieten, Comment. in H. Boerhaave Aphorism. de cogn, et curand. morbis, Lugd Batav. 1745.
F. C. Medicus, Geschichte der periodischen Krankh., Karlsruhe 1764.
W. Trnka de Krzowitz, Hist. febr. intermitt, Vindobon. 1775.
P. Frank, Specielle Pathologie u. Therapie., 3. Ausg., Berlin 1840.
S. G. Vogel, Handbuch der practischen Arzneywissen., Wien 1801.
M. G. Andral, Clinique medical Tom. I. Fièvres; Paris 1823.
Specielle Pathologie, herausg. v. A. Latour, übersetzt v. Fr. Unger, Berlin 1837.
Piorry, Memoir sur l'etat de la rate dans les fièvres interm., Paris 1838.
C. H. Baumgärtner. Ueber die Natur u. Behandlung der. Fieber, Frankf. a. M. 1827.
J. N. nob. a Raimann, Princip. Pathol. et Therap specialis medicae, Vindob. 1835.
V. nob. ab Hildenbrand, Institut. practico - med, pyretolog. complect; quas continuavit, et usui Acad. accomod. Filius Franciscus nobilis ab Hildenbrand, Edit. 2., Viennae 1833.

THESES DEFENDENDAE.

1. Si non esset China, Opium et Mercurius, nollem esse Medicus P. Frank.
2. Omne systema medicum aliquid veri continet.
3. Omne Pharmacon virtute gaudet specifica, remedia specifica tamen non dantur.
4. Quantum Natura in sanandis morbis valeat, homoeopathia optime docet. —
5. Morborum pectoris diagnosis nonnisi auscultatione et percussione, rite instituta, secure statui potest.
6. Accomodare Artem Naturae, Scientiam Arti; en totum medentis opus. Lippich.
7. Effluxus Aquarum sub secunda partus periodo exclusionem infantis non semper accelerat.
8. Allopathia non ideo optima quia vetustissima, sed ideo vetustissima quia optima est.
9. Medicus saepe verbis plus praestat, quam remediis.
10. Sic in diaeteticis plus saepe salutis, quam in lagenis pharmaceuticis.
11. Diagnosis et Therapia infantum magnis premitur difficultatibus.
12. Ars gymnastica in educatione infantum non satis commendanda.
13. Inter prima Medici vitia Egoismus sub omni ratione est censendus.
14. Humanitas vero Medico summe necessaria.
15. Carcinoma mammae, uberibus quae officium lactationis n n praestitere, magis inimicum.
16. Febres intermittentes salutarem saepe exerunt effectum.

17. Idiosyncrasia omnem meretur Medici adtentionem.

18. Medicus qui Psychen regligit curando, arte sua raro magna praestabit.

19. Medicus perfectus esse non potest qui Chirurgiam ignorat.

20. Quaelibet puella pubertatem ingrediens de menstruationis dignitate prudenter instituenda esset.

21. Amor felix omnem exaltat vitam.

22. Examen feminarum juniorum juveni Medico difficillimum.

23. Virginitatis et graviditatis signa adhuc sunt incerta.

24. Per exsiccationem paludum, in multis Hungariae regionibus, uberrimus exaresceret febrium intermittentium fons.

17. Diagnosis omnem meretur Medici attentionem.
18. Medicus qui Psychen negligit curando, arte sua non magna praestabit.
19. Medicus perfectus esse non potest, qui Chirurgiam ignorat.
20. Quaelibet puella pubertatem ingrediens de menstruationis dignitate prudenter instruenda esset.
21. Amor felix omnem exaltat vitam.
22. Examen foeminarum juniorum juveni Medico difficillimum.
23. Virginitatis et graviditatis signa adhuc sunt incerta.
24. Per exsiccationem paludum, in multis Hungariae regionibus, uberrimus evanesceret febrium intermittentium fons.